I

89 l.



Daniel Heinlo.

Anno 1582 Christi

Verbum domini manet in

Das wort gottes bleibet in

ewigkeit

Anno primo Gustavi natiuitas

Daniel Heinlo

Anno 1582 da

Daniel

Anno Christi

1582 fünf Engel

Ein Kindt geborn

Gott sey mit vns Halten

Lutter

Wir gedenken an der Herr

wol gebürtt

WBP
Opole

a
b

Biblioteka Uniwersytecka Publiczna
w
Opolu

89 St.

K 396
62 C

FABELLÆ ÆSOPICÆ QVÆDAM BREVIORES.

132/95

Ad vsum studiorum puerilium selectæ.

VRATISLAVIÆ.

M. D. LXXXI.

V.3.14
Apolo

FABELLÆ ÆSOPICÆ QVÆDAM BREVIORES.

DE MARE ET AMNI.

AMnem interrogat Mare, quando finem influendi facturus sit? Cui Amnis: cùm tu admittendi.

Libertatis sunt perpetua beneficia.

DE TERRA ET COELO.

QVerebatur Terra Cœlum sibi celeriter reverti calefactum, quod [illegible] fectum. Cui illud: Non enim dare possem, nisi reciperem.

Ostenditur, mutua beneficia durabilia esse.

DE HIRVNDINE.

HIrundo applicata ad ulceris virulenti margines, auidè sanguinem infectum attraxit, & mox differta veneno interijt.

Narratur fabula contra ingluuiem & intemperantiam, qua plures quàm gladio interire, uerè dicitur.

DE PVERO ET SCORPIO.

LOcustas puer captans, in Scorpium incidit. Huic ille: Ne, inquit, attigeris me. Nam nisi à me abstinueris manum, locustas etiam, quas uenatus es, cum dolore & gemitu proijcies.

Fabula monet, uitandos esse congressus improborum.

ROTA ET VECTOR.

QVare tu, inquit rotæ uiciatæ Vector, totum hunc diem nobis stridores tuos oggannis? Quia enim, inquit Rota, grauiter laboro & uehementer afflicta sum, quî ergo possum non queri atq; lamentari?

Fabula ostendit, miseris & calamitosis ignoscendum esse, si fletus & querimonias usurpent.

MALVS ET PIRVS.

CErtamine de formæ præstantia inter Pirum & Malum orto, cùm illæ multis inter se uerbis disceptarent, Rubus de propinqua sepe: Finem tandem, exclamat, obsecro rixarum faciamus.

Fabula ostendit, in dissensionibus potentum etiam infimos principatum quærere.

APICV-

QVòd suos labores ab hominibus compilari Apicula ægrè ferret, elegantissimè constructos fauos Ioui obtulit, & ab illo petijt, letiferam ut aculeo suo uim adderet. Iupiter immanitate bestiolæ offensus: Immò potius uitalem uim tribuam, inquit, ut unà cum illo tibi uita relinquenda sit.

Fabula ad sententiam Herodoti est composita: immodicas pœnas dijs non probari.

LEO, ASINVS ET LEPVS.

LEO cùm bello contra uolucres suscepto copias suas recenseret, prætereunte Asino & Lepore, quasnam ad res uti posse speraret, Vrso interroganti, respondit: Asino tubicine, & Lepore tabellario.

Fabula docet, neminem esse tam paruum aut humilem, cuius non aliqua in re opera utilis esse possit.

VVLPES ET LEPVS.

ORabat Vulpes Iouem, ut calliditatem ingenij sui uelocitate cursus ornare uellet, Lepus autem celeritati suæ adiungi uersutiam animi pe-

tebat, Iouem his ferunt respondisse: A se animantes singulas liberaliter esse certa dona & beneficia collata, neq; uni se largiri omnia oportuisse. Hanc enim benignitatem erga unum quempiam, summam iniquitatem erga uniuersos alios futuram fuisse.

Hoc ait fabula: Non uni dat cuncta Deus.

SENEX ET ADOLESCENS.

CONspectum Senex Adolescentem, qui de sua arbore poma carperet, hortatur, ut aliena ne inuadat neq; rapiat. Hunc Adolescens de arbore irridere, & poma, ut cœperat, decerpere. Tum senex: Herbas, inquit, audiui magna ui & efficacia pollere: uellit igitur herbas, & contra Adolescentem proijcit. Hic uero in cachinnos effundi, & senem delirare credere. Ibi Senex: Nihil quidem herbarum, inquit, ut intelligo, uires erga istum ualuêre. Sed & lapides, de quibus sæpe mira, quantum illi possint, audiri memini, experiar. Atq; collecta saxa in furem coniecit.

Fabula Terentianam subijcit sententiam: Omnia prius experiri quàm armis, sapientem decet.

Docet & hoc, senilem & prudentiæ, quæ huius

huius ætatis propria est, esse impetum lentum, sed uehementem.

ARIES ET TAVRVS.

ARies, qui inter pecora principatum teneret, superbia elatus cum Tauro congredi ausus fuit. Qui ita illum accepit, ut moribundum relinqueret in deploratione temeritatis & sera pœnitentia.

Fabula monet, non esse impetendos uiribus prestantiores.

LVPVS.

INduerat pellem Ouis Lupus, atq; cùm ita ignoraretur, aliquantisper impunè in gregem fuit grassatus. Sed Pastor mox animaduersa fraude, necatum hunc de arbore suspendit. Hac qui pelle decipiebantur admirantibus: Pellis quidem est (Pastor inquit) Ouis, sed sub hac Lupus latebat.

Habitus & uultus iudicia non habenda pro certis, fabula docet, ideoq; facta & rem spectari oportere.

MVS ET MILVIVS.

IRretitus & implicitus laqueis Miluius, exorat Musculum, se ut liberet. Hoc ille facilè corrosis plagis effecit, tum eum Miluius arripit & deuorat.

Ostendit fabula, quam gratiam pro beneficijs acceptis mali reddere soleant.

MVLIER ET NVX.

MVlier Nucem interrogasse dicitur, quare afflicta illa demum uberes fructus ferret? Quia enim & tu, inquit Nux, uerberibus affecta melior reddi, & Asinus plagis incitari solet.

Fabula docet, quod in alium dicatur, audiendum etiam esse, iuxta uersum Homericum:
ὅπποῖον κ' εἰπηθ' ἅπος, τοῖον κ' ἐπακούσαις.

CERA.

CEra inuidebat lateribus duriciem, quam de igne consequi illos uidebat. Abiecit igitur & sese in flammam, futurum sperans, ut & ipsa indurescceret, sed contrà accidit, celeriter ut diffluueret, & liquefacta ab igne consumeretur.

Docemur, non esse appetenda ea, quæ sint à natura nobis denegata.

VPVPA.

IN Aquilæ nuptijs ferunt sese Vpupam reliquis auibus hospitibus prætulisse, & cristas altè erexisse, & genus etiam regium iactitasse. Sed huic dixisse Ciconiam accepimus, par non esse, ut primas teneat auis, cuius nidus nunquam stercore careat.

Monet fabula, non esse honestatem de habitu, sed de uitæ ratione æstimandam.

TRABS ET BOVES.

QVI trabem Boues trahebant, unde tignum fieret, increpabantur ab illa, quòd anhelantes in pigritia lento gradu incederent. Cui unus de Bobus: Nos tamen, inquit, hoc mox onere liberati acquiescemus, cùm tibi paulò pòst imponendum usq; ad cariem sit sustinendum.

Subijcit fabula præceptum humanitatis, ut ueremur insultare miseris, cùm fieri possit, ut nos multo maior calamitas maneat.

COLVMBA ET PICA.

CVR tu, inquit Pica Columbæ, semper eodem in loco deponis oua tua, atq; pullos excludis, neq; redderis prudentior continuis rapinis homi-

num? Huic Columba: Non sinit, inquit, simplicitas me, neq; mali suspicari de alijs, neq; meos ab illorum iniurijs eripere.

Ostendit fabula, simplicitatem esse iniuriæ & fraudi expositam.

ARANEA ET HIRVNDO.

Conspicata Aranea capientem muscas Hirundinem, contra illius uolatus explicat retiola sua, per quæ facilè lata Hirundo, celeriter totum opus disturbauit. Tum Aranea: Ista, inquit, muscarias plagas non moratur.

Ostendit fabula, imbecilles frustra se potentioribus opponere, & hoc subijcit: Vana est sine uiribus ira.

CORVVS ET LVPI.

Petebat à Lupis partem prædæ Coruus, quos totum diem sectatus fuisset. Cui illi: Non tu nos quidem, sed prædam sectatus es, eo quidem animo, ut ne corporibus quidem nostris uelles parcere, si exanimarentur.

Fabula docet, spectari in actionibus, non tantùm quid fiat, sed etiam quo animo & uoluntate fiat.

SIMIAE.

Simiæ purpuratæ instituebantur ad saltationem, cuius cùm peritæ uiderentur esse, productæ fuere ad spectaculum. Saltantibus autem immisit quidam nuces, quibus uisis, omnibus posthabitis & neglectis, ad nuces illæ discurrere, & de his inter se certari ac depugnare.

Fabula hoc dicit:
Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

ABIES ET DVMETA.

Contemnebat propinquos Dumos Abies alta, Cui illa: Quanto tu nobis es præstantior, tanto tua est conditio deterior, quòd magis omnis generis iniurijs exposita sis, & tibi à dijs & hominibus pericula impendeant.

Docet fabula, non oportere excellentes ullorum paruitatem despicere. Nam multos, ut ille ait, fortuna tollit in altum, ut lapsu grauiore ruant.

GRVS ET PAVO.

Pauo contra Gruem assistens, explicatis pennis suis: Quanta est, inquit, formositas mea, & defor-

deformitas tua? At Grus subuolans: Quanta est, inquit, leuitas mea, & tua tarditas?

Monet fabula, non esse ob aliquod bonum naturale superbiendum, neq; contemnendum alterum cui fortasse multo maiora collata sint.

OLLA NATANS.

LEbetem ahenum & Ollam fictilem undæ abstulerat. Tum Olla magnopere uitare concursum aheni, & formidare ac tremere. Cui Lebes: Quid metuis? inquit, non ego tibi nocebo. Respondit Olla, in tali iactatione se non posse securo esse animo, cui non spectata ipsius uoluntas erga se, sed fortuitus concursus timori esset.

Docet fabula, periculosas omnibus modis esse coniunctiones potentum & impotentum.

CAMELVS.

CAmelus repanda à Ioue petebat, ut cornibus armaretur. Cuius ille stolidis precibus irritus etiam aures mutilauit, ut non solùm inermis, sed etiam deformis de cætero esset.

Monet fabula, ineptis precibus deos non esse fatigandos.

DE

DE ASINO INDVTO Leonina pelle.

PElle Leonina indutus Asinus territabat homines & bestias, tanquam Leo esset. Fortè autem conspectæ aures eminentes & longæ, prodidêre stolidè superbientem Asinum, ita in pistrinum abactus, pœnas dedit temeritatis & petulantiæ suæ.

Fabula innuit, honores indignis collatos, ad ignominiam plerunq; recidere. Dicturq; contra stultationem stultorum & glorioſorum.

CANCRI.

MI nate, grandior Cancer paruulo dicebat, quin recta uia incedis, neq; obliquos torgressus? Faciam, inquit ille, mi pappule, si te ipsum facientem prius uidero.

Docet fabula, adolescentiam domesticis malis exemplorum maximè corrumpi.

TAVRVS ET HIRCVS.

CVm urgeret Taurum insequens Leo, confugit ille ad Hirci caulam, sed Hircus in foribus stetere, neq; Taurum intrò admittere. Tum Taurus: Nisi utroq; nostrum robustior premeret nunc, facilè

facilè poteram tibi ostendere, quanto præstent Tau-
uires uiribus Hircinis.

Docet fabula, interdum iniurias & contume-
liam debiliorum ferri necesse esse, propter metu
ualidiorum.

SIMIA.

COnuocatis uniuersis animantibus cognosce
Iupiter uolebat, cuiusnam omnium formos
sima esset soboles. Tum Simia Simiolum parulu
præferens, & Ioui ostendens: Quid quæris Iupiter
inquit, nullum hoc formoso formosiorem inueni
Cui Iupiter: Ideo nudas, inquit, nates scilicet hab

Docet fabula, de illius ore, qui seipsum aut s
prædicet, laudes & sordidas & ridiculas fieri.

VVLTVR.

VVltur inuitatis auicu'is ad conuiuium, c
illis daturus esset die natali suo, postquam
affuêre ad tempus, clausis foribus domus, ca
& occidere singilatim omnes, & de inuitatis e
sibi instruere cœpit.

Fabula monet, uoluptatis sectatores non
uisum in exitium incidere solere.

CAP

CAPRA ET LVPVS.

COnspicatus in alta rupe stantem Capram:
Quin tu, inquit uel Leo uel Lupus, huc in
herbidos campos, & ad lætas frondes descendis, &
ista sterilia & nuda loca relinquis? Cui respondit
Capra, senserat enim fraudulentè locutum: Non
esse in animo sibi, dulcia præponere salutaribus.

Fabula docet, uoluptatum studium interdum
esse exitiale.

HOEDVS ET LVPVS.

SVpra tectum domus stans Hœdulus, Lupum
prætereuntem inclamabat, & illi maledicebat.
Cui Lupus: Non tu, inquit, sed tectum mihi male-
dicit.

Sæpè locus & tempus fortes facit homines
timidos, ut insultare etiam præstantissimis non ue-
reantur.

PAVO ET MONEDVLA.

CVM haberent comitia uolucres Regi creando, petijt regnum Pauo, quòd se ob formam eximiam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui

cum

cùm omnium suffragia laturus uideretur: Hic tamen Rex, inquit Monedula, si fortè sit factus, & Aquilam hostem habuerimus, quùdnam opis auxilijuè poterit afferre?

Monet fabula, in principibus legendis non speciem modo, sed etiam uirtutem & sapientiam spectari oportere.

MVSTELA.

IMbecillis iam & annis grauis Mustela mures assequi non magis poterat. Hanc igitur excogitat fraudem: In frumenti manipulos se implicat, eodem ueniunt & mures, fruges ut erodant, hos illa sine labore & defatigatione capit, atq; deuorat.

Fabula docet, uiribus deficientibus magnum in prudentia subsidium esse positum.

PAVO.

COnquestum grauiter apud Iunonem, auem illius propriam, Pauonem accepimus, quòd in tanta formositate & splendore pennarum, uocis suauitate deficeretur, cùm Luscinia tam nihili uolucris illa abundaret. Cui Iuno: Rectè, inquit, non enim omnia in unum bona conferri oportuit.

Fabula

Fabula nos admonet sententiæ Homericæ: Non datur ut rebus præcellat omnibus unus.

DE AQVILA ET MONEDVLA.

AQuilam rapientem Agnum conspicata Monedula, idem de Ariete facere conatur, sed in uillis pecudis cùm ungulæ implicitæ essent, capta à pastore, & dono data filio fuit, qui illa in ludo pro monedula postea, quæ sua opinione Aquilæ par fuerat, usus est.

Deterret Fabula ab affectione earum rerum, quæ res maiores sint, quàm ut nos assequi posse uideamur.

CANIS IN PRAESEPI.

FRendens Canis dentibus & allatrans nonnunquam in præsepi iacebat, à quo Boues terrebantur, neq; admittebantur ad pabula. Cui unus: Quanta ista, inquit, inuidia est, non pati te, ut eo cibo uescamur, quem tu carpere nec uelis nec possis?

Fabula de prouerbio composita est, quo notatur inuidentiæ malignitas.

SIMIVS ET VVLPES.

MEa Vulpecula, inquit Simius, da mihi de cauda tua tam graui & oneroſa tibi, portiunculam, qua tegam patentes nates. Quàm grandi? inquit Vulpes: Quòd ſi illam eſſet neceſſe plauſtro poſt me ſubuehi, tu tamen nunquam uno huius pilo ueſtitior fieres.

Fabula hæc malignitatem locupletum notat.

VENTER ET MEMBRA.

INquiunt quodam tempore Membra: Noſne te Venter, ita ſemper ocioſum alemus miniſterio noſtro? Non faciemus. Sed dum Ventri cibus ſubtrahitur, totum corpus debilitatur, & Membra ſera pœnitentia cepit inuidiæ.

Fabula narratur contra ſeditionem, & contra ſocietatis uiolationem, expoſita eleganter à Liuio.

SECVRIS ET LIGNATOR.

FAciæ Securi petijt à ſilua manubrium Lignator, Silua ad eum uſum dedit ſtipitem Oleaſtri. Tum inſtructa ad cædendum Securi, ſiluam Lignator populari, & arbores truncare. Ibi fertur fraxino dixiſſe Quercus: Feramus æquo animo, ſoror, malum, quod ipſæ nobis accerſiuimus.

Fabula

Fabula monet, ne armemus contra nos hoſtes noſtros.

FELIS.

IRrepſerat in officinam excuſoris, ſeu Felis ſeu Vipera, ibiq; repertam Limam lingere cœpit. Cumq; ſauciata de lingua cruor manaret, gaudens illa ſucceſſu, quòd crederet ferrum à ſe lacerari, non fecit lingendi finem, donec tota lingua abſumeretur.

Fabula dicitur contra eos, qui cupiditatibus & pertinacia ſua ſeipſos damnis afficiunt.

DE CORNICE SVPERBIENTE aliarum Auium pennis.

COrnicula collectas pennas de reliquis auibus ſibi accommodauerat, & ſuperba uarietate illa, reliquas omnes præ ſe auiculas contemnebat. Cùm forte Hirundo, notata ſua penna, aduolans illam auſert, quo facto reliquæ poſtea aues quæq; ſuam ademere Cornici, ita illa riſum mouit omnibus furtiuis nudata coloribus, ut ait Horatius.

Significat fabula, commendicatam ſpeciem neq; diu durare, & perleui momento diſſolui.

LVPVS ET HOEDVS.

EXiens in pascua Capra, imperat Hœdo, ne cui caulæ fores ante ueſperam pandat. Vix fuerat profecta, cùm aduenit Lupus, & in quantam exilitatem poterat deducit uocem, ut Capræ ſimilis uideatur, & aperiri ſibi poſtulat. Cui Hœdus fraude intellecta: Imberbes, inquit, animantes admitti mater uetuit.

Docet Fabula, ſalutem conſeruari iuuentutis, obſequio & obedientia parentum & magiſtrorum.

MONS PARTVRIENS.

MOns tumens & ingemiſcens, quaſi partus inſtaret, maximos metus & terrores incuſſerat humano generi. Tum ſubitò Mus prodijt. Itaq; anxietas hominum in riſus euaſit.

Indicat Fabula, expectationem ſingularem ad maximas ſæpe nugas recidere. De qua re & prouerbio dici Horatianus ueruſus ſolet:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

MILVIVS ET COLVMBAE.

MIluij metu Accipitrem adſciſcunt Columbæ, à quo defenderentur. Accipiter admiſſus quaſi quaſi inobedientes caſtigans, plus ſtragis uno die in columbari edidit, quàm longo tempore euolantibus dare Miluius potuiſſet.

Indicat Fabula, malorum & crudelium patrocinia eſſe cruenta.

CORVVS.

COruus graui morbo laborans: Mater, inquit, Deos interpella pro ſalute mea, & à lacrymis tempera. Cui reſpondit mater: Vereor, ne meas preces ullum numen exauditurum ſit: Nullius enim tu uictimis unquam peperciſti.

Fabula docet, quibus ſecundis rebus plurimi fuerint inimici, eos non facilè amicos in aduerſis reperire.

LVPVS ET GRVS.

INhæſerat os in faucibus Lupi, certa mercede igitur conducit Gruem, qui inſerto roſtro in victum ſuum os de faucibus extrahat. Hoc longitudine colli facilè Grus effecit. Cùm autem mercedem poſtularet, ſubridens Lupus, & dentibus infrendens: An tibi, inquit, merces parua uidetur, quòd caput incolume retuleris de Lupi faucibus?

Fabula in eos dicitur, qui seruati de malis, erga salutis suæ autores ingrati reperiuntur.

AGRICOLA ET ANGVIS.

REpertum Anguem frigore penè mortuum, Agricola misericordia motus, fouere sinu, & subter alas recondere. Anguis recreatus calore uires recepit, ac confirmatus, Agricolæ pro merito ipsius summo, letale uulnus inflixit.

Fabula demonstrat eam mercedem, quam rependere pro beneficijs mali consueuêre.

DE CANE, ET FRVSTO CARNIS.

FErebat Canis secundum flumen decurrens raptum alicunde carnis frustum, cuius imago cùm in aquis appareret, Canis auidus illam, quasi alterum frustum undis innatans, appetit, sed dum pandit rictum, ut assumat, id quod tenuerat, amittit.

Fabula docet, auaritiam & infinitas cupiditates detrimentosas esse.

GALLVS REPERTOR VNIONIS.

GAllus gallinaceus in sterquilinio dum fimetum eruit, unionem reperit. Quo conspecto: quid mihi

mihi, inquit, tam preciosa re inuenta, opus est? Me tritici granum oblatum magis iuuaret. Nulli enim usui mihi esse potest. Neq; item ego te tollere, & honorem ac ornamentum tibi conciliare scio. Ita in neutro alter utilitatem aliquam reperit.

Fabula dicitur ijs, quibus indignis sæpe fortuna splendorem & bona offert, quæ & ipsi sustinere nequeant, & sæpe etiam infamare soleant.

LVPVS ET AGNVS.

STabat supra Agnum in ripa fluminis Lupus, qui cùm uellet, si deuorasset illum, hoc iure seciſſe uideri: Cur tu, inquit, toruo uultu & minacibus uerbis sceleste, puras undas inquinas, ut ad me defluant turbidæ? Egone? inquit timens & trepidans Agnus, qui infra te astiti, & à quo ad me illæ deferuntur. At enim maledicis, inquit Lupus, neq; recordare, quam pœnam ob petulantiam linguæ pater tuus persoluerit, ante menses septem. Non ego tum, inquit Agnus, procreatus fui. Scin uerò, Lupus inquit, quàm uastum reliqueris nuper campum omnibus herbis nudatum? Nunquam hoc, inquit Agnus, factum reperies: neq; ego omninò, cùm dentibus caream, facere potui. Tandem Lupus: Tu quidem, inquit, satis dicaculus es & disertus, ego

tamen lautè cœnare decreuit. Atq; ita correptum Agnum deuorauit.

Fabula narratur de impudentia facinorosorum.

LEO, IVVENCA, CAPRA, OVIS.

Societatem iunxerant Leo, Iuuenca, Capra, Ouis. Parta autem præda, in portiones æquales quatuor diuisa, Leo, prima, ait, mea erit: debetur enim hæc præstantiæ meæ. Tollam & secundam, quam meretur robur. Tertiam uendicat sibi eximius labor & defatigatio mea. Quartam qui suam esse uoluerit, is sciat se habiturum me inimicum. Quid facerent imbelles bestiæ, aut quis refragari Leoni, uel illum infestum habere sibi uellet? Vniuersam igitur ipse prædam solus tenuit.

Hac fabula docemur, ijs qui potentum consuetudine implicentur, & insolentiam horum ferendam esse.

DE CORVO ET VVLPE.

Vstulerat Coruus alicunde caseum, & cum illo in altam arborem subuolarat. Vulpecula, quæ caseum concupijsset, ita illum adorta callidè fertur, cùm primùm formam & nitorem pennarum, & laudes

laudes augurij collaudasset: Planè, inquit, te summi Iouis uolucrem esse dicam, si audiero etiam uocem & cantum dignum reliquis uirtutibus tuis. Coruus laudibus Vulpis inflatus, clamorem edere quàm maximum posset. Ita de aperto rostro delapso caseo potita Vulpes, irridens illum: Nihil, inquit, tibi deest Corue, præter cor.

Fabula docet, assentationes & deridendos & comedendos alijs, ut Terentius ait, exponere eos, qui illis delectentur.

LEO SENEX.

Leo confectus senio, uixq; debilia membra trahens, amissis uiribus, ab animantibus reliquis non modò contemtus, sed ultrò etiam impetitus fuit, usq; adeò, ut Asellus etiam, inertissima bestia, calce ferire miserum non reformidaret. Tum fortunam ille deplorare suam, & meminisse, quanto olim robustissimis quoq; beluis terrori fuisset, qui nunc ea contumelia, consumpto robore, afficeretur.

Fabula potentes & honores atq; magistratus consecutos hortatur, ut ita se in illis gerendis teneant, ne cùm uel fortuna mutata, uel hi depositi fuerint, alijs ipsi ludibrio sint.

ASINVS ET CATVLVS.

VIdebat Asinus amanter complecti patremfamilias Catulum, qui insiluerat in gremium illius. Idem & ipse igitur sperans, si pariter assultaret domino, euenturum sibi: in illum se infert, & ut rebatur, abblanditur hero. Sed hic ineptias & peruersum studium repulit, & fustibus correxit stulticiam illius.

Docet fabula, ne affectemus ea, quæ natura negauit, neue obtrudamus inuitis officia nostra.

DE RANIS ET IOVE.

PEtijsse quodam tempore à Ioue Ranæ dicuntur, sibi ut regem præfaceret. Exoratus Iupiter, trabem ingentem in lacum deiecit. Quo sonitu turbatæ Ranæ, refugere primùm, mox tamen speculari, quid accidisset: cumq; trabem aspicerent natantem in aquis, subitò in illum inuasere, cum magno contemtu, & per risum salutarunt, appellantes regio nomine. Tum Iupiter immisit illis anguem aquaticum, Hydrum uocant: à quo cùm capti manderentur, serò stulti uoti dementes Ranunculos pœnituit.

Fabula monet, ne, cui fortuna libertatis usum concessit, is seruitutis iugum induat.

FVR.

FVR ET CANIS.

FVR allatranti Cani offerebat panem. Cui Canis: At nunc ego, inquit, satiatus, cùm tu domum nostram compilaueris, me silente, unde mihi mox cibum petam, aut quomodo sedabitur fames mea?

Fabula docet, cauendas fraudes impostorum, neq; facta illorum, sed consilia spectanda esse. Referri & ad illud potest, quòd à Iurisconsultis memoratur:

Tolle uoluntatem, nec erit discrimen in actu.

Quæ sententia in comiuio Platonis elegantissimè memoratur, annotata & à Gellio, libro XVII. capite XX.

CANIS SENEX.

BOna & laudabili opera Canis perstrenui, usus aliquantisper uenator fuerat. Deficientibus autem iam uiribus, & debilitatis membris, nihilo secus ille tamen ab hoc alacritatem & cursus pristinos requirebat, & uerbis atq; uerberibus cessantem urgebat. Cui Canis: Quàm citò oblitus meritorum meorum, inquit, ita in me sæuis? Neq; mihi prodest quicquam, quòd benefecerim, cùm facere posse desierim.

Fabula

Fabula reprehendit hominum prauitatem, in beneficijs obliuiscendis. Dicitq; idem, quod uersus Homericus:

Οὐκ ὀΐδ χάριϛ μετόπιϛθεν ἐυεργέων.

Id est: Benefacti gratia rara est.

Itemq; Ouidianum hoc:

Nil nisi quod prodest carum est.

DE CERVO ET OVE.

PEtebat ab Oue debitum frumentum Ceruus, idq; teste Lupo. Ouis territa fatebatur se debere illi frumentum, & præfinire diem passa est, qua persolueret. Ea cùm aduenisset, instanti Ceruo, ut frumentum curaret sibi afferri: Quære, inquit Ouis, mi Cerue, in granarijs diuitum: nam mihi nullum est conditum domi meæ. Promisistin, inquit Ceruus, te hoc die reddituram mihi frumentum. Confessa deberi: Ita factum, inquit Ouis, quia tum pelli metuebam meæ.

Fabula docet, quod ui gestum contractumq; sit, ratum haberi non oportere.

VVLPES.

IN statuarij officinam irrepserat Vulpecula, ac contemplando diuersi generis & uariæ formæ effigies, magnam uoluptatem capiebat. Inter omnes tamen una muliebris corporis statua inprimis illam delectabat, ad quam & accedere, & sermonem instituere, & blandissimè alludere. Sed statua immobili persistente, Vulpes indignata: Quàm formosa, inquit, facies, cerebro caret.

Notantur hac fabula splendidi & conspicui, cum corpore tum fortunis, sed stolidi & uecordes. Et uidetur autor huius alludisse ad uersum Homericum, Od: θ. de Venere.

Οὔνεκά οἱ καλὴ θυγατὴρ ἄταρ οὐκ ἐχέθυμος.

Filia pulcra quidem huic est, sed mens deficit illam.

RANA CREPANS.

CONspiciebat Bouem opimum Rana, etiam se posse exæquare magnitudinem illam, si contractam & rugosam pellem explicuisset, sperabat. Cùm igitur se inflaret, rogat suos Ranunculos, quàm longè à Bouis mole abesse uideatur? Per, inquiunt illi, nostra matercula, permultum. Tum inflare se illa uehementiùs, & quæ uideatur? rogare iterum. Ibi unus, ut Horatius loquentem fecit, de pullis: Non si te ruperis, inquit, par eris.

Stulticia reprehenditur eorum, qui aspirant ad non sperandam excellentiam.

LVPVS

LVPVS ET ASINVS.

CONspectum in pascuis Asinum deuoraturus Lupus, exoratus ab illo, ut prius spinam extrahat defixam in calce pedis posterioris. Sed dum Lupus post Asinum abit, percussus, & uertigine oborta humi stratus, facultatem dedit Asino aufugiendi. Postea reuersus ad se: Cocus, inquit, qui essem, cur medicinam faciebam?

Fabula ostendit, uix sine damno fieri, ut omissa arte quam quisq; nouit atq; didicit, ad aliam facilitandam aggrediatur. Hanc fabulam alij narrant de Equo & Leone profitente medicinam, eodem sensu.

VESPERTILIO TRANSFVGA.

BEllum gerebant bestiæ cum Volucribus: cumq; uideretur uictoria ad has sese inclinare, Vespertilio, quæ euentum expectarat, neq; alterutri parti adhuc sese applicuerat, cum bestijs coniungitur. Mox fortuna mutata, ut hæc est belli uaria, uincentibus uirtute Aquilæ uolucribus, ad aues illa reuolat: A quibus, ut transfuga, nudata pennis ab auium coniectu exclusa, & ad nocturnos uolatus damnata, pœnas dedit perfidiæ.

Contra

Contra mendaces, & subdolos ac perfidos hæc fabula composita est.

LVPORVM ET OVIVM PAX.

CVm Lupis bellum gerebant Oues, atq; illis adiutæ auxilio Canum, semper pares, sæpe etiam superiores erant. Lupi, uictoria desperata ad Oues legatos mittunt, qui pacem petant. Conditiones ferebantur, canes Lupis ut obsides darentur ab Ouibus, ipsæ catulos Luporum acciperent. Cùm de omnibus conuenissent, pax iurisiurandi religione firmatur. Paulò post, securis Ouibus, cùm forte ulularent catuli luporum, illi in miseras & destitutas omni ope, quasi uiolatrices pacis, qui iniuria obsides acceptos affecissent, irruunt, & ita ut prius impunè illas rapiunt atq; uorant.

Monet fabula, ut eos, à quibus defendi nos sciamus, diligenter colere uelimus.

DE EQVO ET CERVO.

TEnuerat Equus pratum aliquantisper solus, postea cùm in illud & Ceruus uenitaret, & pabulum consumeret, cupidus ille uindictæ, quærit ab homine, utrum ope ipsius adiutus, iniurias Cerui ulciscì

ulciſci poſſit ? Cui reſpondit Homo : poſſe, frenum ſi recipiat equus, & ſe conſcendi patiatur ab armato. Annuente autem Equo, tantùm abfuit, ut de Ceruo ſperatas pœnas ſumere liceret, ut etiam ipſe in ſeruitute deinceps uiuere cogeretur.

Fabula monet, ne cum ullo tam graues inimicitias exerceamus, ut lædendi illius cupiditate malum etiam nobis non dubitemus accerſere.
Horatius ita explicat :

Qui pauperiem ueritus potiore metallis
Libertate caret, dominum uehet improbus, atq;
Seruiet æternùm qui paruo neſciet uti.

CANIS ET COCVS.

CAnis in culinam introgreſſus, occupato Coco neq; animaduertente, corculum pecudis rapuit & aufugit. Quem his uerbis Cocus fertur eſſe proſecutus : Age, nunc hoc abſtuleris impunè : Sic tamen habeto, te poſthac, ubicunq; conſpectus ſis, cautiùs à me obſeruatum iri. Non enim cor abſtuliſti à me, ſed cor mihi attribuiſti.

Id fabula docet, quod apud Herodotum Cræſus loquitur : rebus aduerſis intelligentiam excitari.

CANIS ET OVIS.

Poſtu-

Poſtulabat in iudicio Canis Ouem debiti, quòd repeteret mutuum modiorum trium frumenti : teſtimonium dicebant Lupus, Miluius, Accipiter. Victa Ouis & condemnata, ſcla enim erat, & planum fecerat teſtibus, deberi ſibi frumentum Canis, quamuis non deberet, coacta iudicatum ſoluere, ante tempus tonſuræ uendidiſſe lanas dicitur, quarum precio frumentum mercaretur, & Cani ſatisfaceret.

Fabula docet, à malicia potentiorum nullius innocentiam tutam eſſe.

AGRICOLA ET FILII.

CVm ſentiret appropinquare ſibi mortem Agricola ſenex, cui domi eſſet ſoboles numeroſa, ſæpe, ut fit, diſcordans, ita ſtuduit coniungere animos & ſententias illorum. Apponit ante illos faſcem uirgularum aridarum, & frangere iubet : cùm non poſſent, diſtribuit ſingulis ſingulas uirgas, ijſq; celeriter confractis, docere conatus fuit illos, quàm firma eſſet res concordia, quàm imbecillis diſcordia.

Narrantur & de pilis caudæ equinæ, & de faſce ſagittarum, ſimilia.

CARBONARIVS ET FVLLO.

C Condu-

WBP Opole

CONduxerat perquàm speciosas ædes Carbonarius, ita inuitat Fullonem habitantem angustiùs, ad se uti commigret. Negauit Fullo sibi hoc faciendum, neq; fieri omninò oportere, Quid enim nobis commercij, inquit, inter nos esse possit, cùm quæ ego fortè eluendo nitida reddidissem, ea tu fuligine & maculis impleres?

Docet fabula, dissimilia non rectè coniungi. Itaq; dicitur & Prouerbio ueteri: Pares cum paribus facilè congregari.

AVCEPS ET ANGVIS.

EXijt ad aucupium cum uisco quidam & arundinibus, ac Turdum fortè in alta arbore sedentem, conspicatus, intendere atq; construere calamos, & uiscum allinire cœpit, defixis in turdo oculis atq; spe sua. Inter hæc miser Anguem latentem in herba calcat, à quo irritato ictus, & letali accepto uulnere, iam moriens: Me miserum, inquit, qui dum alteri insidias struo, ego circumuentus & captus pereo.

Docet fabula, eos, qui alijs malè consulere studeant, sibi interdum primis malum accersere, secundum hanc Hesiodeam sententiam:

Malum consilium consultori pessimum.

TVBI-

TVbicen cantu suo concitatis aciebus, & prælio commisso captus: Ne me, ne, inquit, uos interficite, nemo enim uestrum à me est occisus: quippe qui inermis nihil nisi tubam hanc, ut uidetis, habeam. At hostes: Ideo te, inquiunt, cupidiùs interimemus, quòd pugnandi imperitus, alios ad pugnas & dimicationes incitare soleas.

Fabula docet, nocentiores esse eos, qui potentes instigent & irritent ad malefaciendum alijs, quàm priuatos ullos, qui ipsi malefici sint.

CANIS ET LVPVS.

ADmirans Lupus nitorem & corpulentiam Canis: Quanta, inquit, frater felicitas est uitæ tuæ? Licet igitur, inquit Canis, mecum in urbem uenias, & eadem fruare felicitate. Dum una pergunt, animaduertit Lupus in Canis collo attritos pilos. Tum: Iugum ne etiam sustinendum tibi est? inquit: ceruix enim hoc depilata indicat, ut uidetur. Die, inquit Canis, alligor, ut nostu sim acrior & uigilantior, atq; hæc uestigia sunt collaris, quod circundari solet cervici. Hoc audito Lupus: Vale, inquit, amice, iam nihil moror seruilem felicitatem tuam.

Ostendit fabula, nihil esse libertate melius neq; præstantius.

HERVS ET CANES.

IN prædio sub urbe quidam tempestate inclusus, primùm ouibus mactatis uitam sustentauit, mox durante illa, ne à bobus quidem aratoribus abstinuit. Quæ cùm Canes fieri uiderent, consilium inter se aufugiendi illinc inierunt, quòd non sperare posse uiderentur, ibi locorum se tutos futuros, ubi bobus aratoribus non parceretur.

Monet fabula, illos fugiendos inprimis, apud quos ne domestici quidem & necessarij in tuto esse uideantur.

VVLPES ET LEO.

QVAE nunquam Leonem Vulpes uiderat, cùm huic forte occurrisset, ita fertur exterrita, ut penè moreretur formidine. Eundem conspicata iterum, extimuit quidem, sed nequaquam ut dudum. Tertiò illi obuiam facta, tam firmo animo fuit, ut accedere propius & compellare illum auderet.

Ostendit fabula, etiam grauissima & difficillima negocia usu & consuetudine tractabilia reddi. Itemq; hoc, inopinata omnia uehementius animos perturbare consueuisse.

DE AGRICOLA ET CICONIA.

INter Grues cepit Agricola & Ciconiam. Hæc deprecata ab illo uitam, non solùm innocentem, sed etiam piam se, & hominibus prodesse commemorat: Nam & nostrum genus, inquit, uenenatas bestias uenatur ac deglutit, et effœtos senecta parentes gestat atq; subleuat. Huic respondit Agricola: Credere se uera esse omnia quæ recensuerit, sed inter nocentes captam, eandem oportere pœnam sufferre quam illos.

Fabula significat, similem quenq; haberi ijs, cum quibus consociatus, & inter quos deprehensus fuerit.

DE MENDACE PVERO.

PVER custos Ouium crebrò per lusum magnis clamoribus opem Rusticorum implorabat contra incursiones Luporum. Sæpe autem fruſtratus eos, qui auxilium illi laturi aduenerunt, tandem Lupo irruente, cum lacrimis clamare, & orare

miserabili uoce, ut subueniretur sibi & gregi. Qui audiebant, ludere illum pariter ut antè, arbitrati, neglexerunt preces & implorationem uani pueri. Ita liberè in oues grassatus Lupus fuit.

Fabula docet, hoc consequi mendaces, ut uerum etiam dicentibus nemo credat. Hanc de nugatore & plano, qui se crus simularet fregisse, Horatius exposuit.

ASINVS ET CORVVS.

ASinus pascebatur quodam in prato, huius in exulceratum dorsum inuolat Coruus, & tundit rostro sauciam cutem. Tum Asinus igitur rudere & subsilire, at agitator ridere. Præteriens autem fortè Lupus & hæc cernens: O nostrum infortunatum genus, inquit, quos omnes ad primum conspectum clamoribus & armis insectantur, isti autem, Coruum significans, impunè licet Asini pellem pectere, atq; insuper etiam arridetur.

Ostendit fabula, improbos & damnosos statim esse manifestos cùm primùm apparuerint.

Narratur fabula similiter de cornicula inuolante in tergum Ouis, quæ, cùm Ouis illi diceret, non ferret hoc Canis, responderit: Scire se quibus insultare,

FOrmicæ humectatas in hyeme siccabant fruges, ad has adit Cicada esuriens, & orat paulum cibi ut sibi impertiant. Cui illæ: Aestate, inquiunt, quærere oportuit. Non uacabat, inquit Cicada. Quid faciebas igitur? inquiunt illæ. Cantationibus operam dabam, inquit. Tum illæ: Si cecinisti æstate, inquiunt, hyeme saltato.

Monet fabula, ne ulla in necessaria re cessemus, ne postea egentes frustra præteritum tempus requiramus, aut aliorum opem imploremus.

LVPVS ET MVLIER.

ESuriens Lupus omnia loca circumiens cibum quærebat, tandem audit intra casam rusticam plorantem puerum, & interminantem Matrem, ni desinat, Lupis eum se uelle proijcere. Lupus eo dicto in spem uocatus, habiturum se cibum, totum diem astitit opperiens, dum puerum mater proijciat, sed uespері hæc reconciliata puero, eidem abblandiens & assentans: Mi pupule, inquit, bono animo sis, Lupum si uenerit obtruncabimus. Tum Lupus tristis & deceptus abiens: In ista, inquit, domo aliter loquuntur, aliter sentiunt.

Fabula dicitur in eos, quorum dictis non respondent facta.

TLSTV-

TESTVDO ET AQVILA.

MAgnopere orabat Aquilam Testudo, uolare sese ut doceret. Aquila ostendebat Testudini, rem illam petere contrariam naturæ ipsius. Sed nihilo illa minus instare, & obsecrare Aquilam, ut se uolucrem facere uellet. Itaq; ungulis arreptam Aquila sustulit in sublime, & laxatis illis Testudinem demisit, ut per aërem ferretur, quæ delata in rupes comminuta interijt

Fabula docet, multos cupiditatibus suis excæcatos, consilia prudentiorum respuere, & in exitium ruere stulticia sua.

VERMICVLVS ET VVLPES.

EMersus de sterquilinio Vermis cœpit profiteri apud animantes se esse medicum summum, neq; cedere Peoni deorum medico, usu & experientia artis. Quem rugosum & mutantem intuita Vulpes: Medice, inquit, teipsum curare prius, atq; ita profiteri artem debueras.

Docet fabula, turpiter ea ostentari uerbis, quæ re ipsa conuincantur mendacij. Et est prouerbio tritus huius sententiæ senarius Græcus, qui irridet medicum aliorum, ipsum scatentem ulceribus.

Narratur fabula & de Rana, prorsus eodem sensu.

CANIS MORDAX.

CAni mordaci, ut omnes cauere illum possent, paterfamilias iusserat tintinabulum appendi ex ære paruulum. Hoc ille, quasi præmio uirtutis suæ, admodum superbire, & alios canes præ se contemnere. Cui unus senior: Heus tu, inquit, an nescis indicari prauitatem morum tuorum tinnitu isto, non ornari ære corpus?

Coërcet fabula stulticiam uulgi, quod sæpe placet sibi notis & insignibus flagitiorum suorum.

CRINES ALIENI.

CAluus quidam alienos sibi crines sumserat, Græci φενάκλω uocant. Orto autem uehementiore uento, deturbati illi in uiam, caluiciem reliquere manifestam, quam irridentes qui præteribant, ille intuitus: Quid ridetis, inquit, à me ablatum esse quod meum non erat.

Fabula docet, homines prudentes æquo animo ferre iacturam earum rerum, quas in se fortuna contulerit.

AGRI-

AGRICOLA.

QVI terram colebat, cùm agrum foderet, aurum fortè reperit. Memor igitur beneficij, ut à terra in se collati, & gratus, hanc quotidiè sertis redimire solebat. Ergo Fortuna aliquando accedens ad illum: Cur acceptum fers, inquit, terræ, quod tibi ego tribui, cùm statuissem te diuitijs augere? Nam sorte, si ita cadat, mutata, & auro delato ad alios, satis scio, te non terram, sed Fortunam accusaturum esse.

Fabula monet, autores beneficiorum agnoscendos, & illis memoriam atq; gratiam persoluendam esse.

TIGRIS.

VEnator iaculis & sagittis feras persequebatur, quibus fugitantibus, Tigris se bellum solam sustenturam esse profitetur: in huius, de latebris suis, femur, sagittam Venator conijcit. Tum ita grauiter ingemiscere, & circumspicere, ac quærere autorem uulneris. Cui obuiam facta Vulpecula: Quis te lasit, ô fortissima, inquit, ferarum? Nescio, inquit illa, sed sentio uiri robusti admbitam manum fuisse.

Refutat

Refutat fabula temeritatem audacium. Qui autem uiribus præstant, plerunq; incautiores esse consueuêre. Docemur igitur hoc, ut intelligamus, uictoriam non tam uirium esse, quam prudentiæ.

ARVNDO ET OLEA.

DIsceptabant de fortitudine, robore, & constantia Olea seu Quercus (nihil enim refert) & Arundo. Cùm autem Olea Arundini exprobraret mobilitatem, & quòd ad quamuis illa exiguam auram tremeret, tacuit Arundo. Non ita diu pòst, ingruentibus uentis, & resistente flatibus ipsorum Olea, ab horum illa ui eruta & dissipata fuit: Arundo autem submissione sua integritatem conseruauit.

Fabula ostendit, laudandos eos magis esse, qui tempori seruire sciant, & se non opponant ualidioribus, quàm eos, qui cum præstantioribus se & potentioribus rixentur atq; contendant.

Significatur & hoc, quod Herodotus scripsit: Numinis hunc esse morem, ut ardua conuellat.

BOVES ET LEO.

PAscebantur unà tres Boues opimi in maxima concordia, itaq; facilè ab omni incursione fera-

ferarum tuti erant, ac ne Leones quidem aggredi illos audebant. Tandem dissidio inter illos nato, & soluta amicitia, singuli ualidioribus bestijs direptioni & prædæ fuêre.

Fabula docet, tantum inesse mali in dissensione, quantum boni in concordia reperiatur.

INVIDVS.

VOlens explorare sensus hominum Iupiter, misit Apollinem in terras, qui uoluntates humanas cognosceret. Hic primùm incidit in auarum unum, & alterum inuidum. Quibus cum collocutus, copiam illis facit petendi quod uellent. Id enim quod uterq; petijsset, ratum se habiturum, sed ea lege, ut quod sibi alter petijsset, alteri præstaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit auarus, quicquam sibi ut peteret: at inuidus erui unum oculum sibi petijt, ut auarus ambos amitteret.

Describitur hac fabula, auaritiæ & inuidiæ pessimum & teterrimum uitium.

CORNIX.

SItiens Cornix reperit in urna grandiuscula aquæ non multum. Quam cùm attingere arido rostro non posset, lapillos quamplurimos in urnam deijcit, quibus fundum occupantibus, ad labrum urnæ aqua subijt, & potandam se Cornici præbuit.

Docet fabula, multas res arte obtineri, quas nullæ uires assequi potuissent.

DE HOMINE ET Leone lapideo.

ORta inter Hominem & Leonem contentione de robore, cùm se huic ille anteferret, & omnibus modis uellet probare esse ualidiorem, deduxit Leonem ad effigiem hominis de saxo expressam, à quo Leo item saxeus pedibus calcabatur. Tum Leo: Si nostrum, inquit, genus fingere etiam didicisset, ego quoq; tibi, ut opinor, saxeos homines qui à Leonibus premerentur, possem ostendere.

Coêrcet fabula iactantiam & ostentationem uirtutis propriæ.

PVER FALLAX.

PLorabat ad puteum residens ac quiritabatur puer, ad quem accedens auarus, interrogat quid acciderit ei: Me miserum, inquit puer, cum multo largioribus lacrimis: ô miserum me. Cur

miserum se prædicaret, interroganti auaro: Respondet, auream situlam sibi in puteum modò delapsam. Ille cupiditate cæcus, neq; unde puer auream situlam afferre potuisset, neq; haud uerisimile hunc dicere cogitans, positis uestibus se in puteum demittit, quibus puer interea, dum ille reuertitur, sublatis, in syluas aufugit.

Qui aliena oppetunt, eos sua etiam amittere sæpe solere, fabula docet.

DE RVSTICO ET IVVENCO.

Rvsticus Iuuencum educarat, quo ad arationes uteretur. Sed hoc admodum ferociente & cornibus impetente obuios, Rusticus cornua illius detruncat, atq; ita ad aratrum adiungit, ipse sequens stiuam tenet. At Iuuencus ne sic quidem idoneum se arationi præbuit, sed & caput truncum dimittere cum iugo, & posterioribus pedibus pulueren & glebas in os & oculos aratoris spargere, & delirare in arando, ut Rusticus illum sibi usui futurum esse desperaret.

Hac fabula significatur, quosdam ita esse feros, ut nulla ratione mansuescere possint, quia nulla in parte tractabiles sese prebeant.

MVS

Arrepsit quodam tempore ad pedem cubantis Tauri musculus, & pedem bestiæ mordicùs arripuit. Excitatus sensu doloris Taurus, exilire & circumspicere & quærere autorem uulneris. Tum murum exultabundum fuisse gloriatum accepimus, quòd à se tam exiguo animali, tam grande & ualidum exagitari potuisset.

Fabula dicitur de stoliditate imbellium, & iactantia humilium.

Narrari etiam ita potest, ut magnos ac præstantes uiribus admoneat conditionis suæ, obnoxiæ interdum etiam minimorum & contemtissimorum iniurijs.

GALLINA AVRIPERA.

Habebat Gallinam quidam, quæ ouum quotidiè pariebat aureum. Hic sperans auri massam intra illam esse absconditam, occidit Gallinam, & in dissecta nihil aliud reperit, quàm quod in reliquis esse Gallinis consueuit. Itaq; ingentibus ille diuitijs inhians, etiam mediocres perdidit.

Monet fabula, ut immodicas cupiditates & auidos diuitiarum animos compescamus, & ut sua quisq; fortuna contentus uiuat.

MAgnum esse amorem erga natos Simiarum accepimus, sed duobus partu editis, alterum mirificè diligere matrem, & gestare manibus, & frequenti complexu sæpenumero necare. Quæ igitur fugiebat canes cum gemino fœtu, cariorem manibus comprehensum, alterum de ceruice pendentem gestabat. Cursu autem fatigatæ, lassatis è manibus elapsus Simiolus, cùm urgente ui canum tolli non posset, perijt: alter, qui collum matris arctißimè astrinxerat lacertulis suis, conseruatur. Hunc postea illa solum ita uehementer, ut prius alterum, amauit.

Fabula ostendit, unius sæpe damna alteri prodesse.

LVPVS PISCIS.

LVpus piscis robore & magnitudine eximia præditus, fluuij cuiusdam imperium tenebat: Hunc superbia & fastidium præsentis fortunæ ad cupiditatem extulit regni marini. De ostio igitur fluminis in Pelagus enatat, atq; ibi Delphino regnatori occurrens, cùm & forma & mole insueta terreretur, adoriente etiam hunc hostiliter Delphino, fuga se in amnem suum recepit, neq; postea unquam extra ostium excurrere ausus fuit.

Hoc

Hoc fabula docet, ne quis sibi neminem parem reperiri arroganti opinione persuadeat, ac potius ut cogitet, id quod Teutonico prouerbio fertur: Etiam trans riuum homines inueniri.

PARDVS ET VVLPES.

PArdus fera est uarijs colorum distincta maculis, eam cum Vulpe de forma certasse accepimus. Disceptatum fuit coram Erinacio: Pardus commemorare cœpit, forma eos facilè præstare reliquis, quorum aspectu plurimi delectarentur, sed uarietatem habere iucunditatis plurimum, sicut prata quoq; conspicua diuersis floribus maxima oculos uoluptate perfunderent. Iussa ad hæc dicere Vulpecula: Intus me, inquit, de anima, non de pelle noscito, atq; ita uarietatem contra me ostenta tuam.

Hoc indicat fabula, certißima esse iudicia, quæ à specie externa quàm longißimè abducta sint.

ASINVS CONTROVERSVS.

DVO qui unà iter faciebant, Asinum oberrantem in solitudine conspicati, accurrunt læti, ac uterq; sibi illum uendicare, quòd ipse prior conspexisset. Cùm contendunt & rixantur, neq; à

iurgijs abſtinent, Aſinus aufugit, & ſubducit ſe oculis illorum. Ita dum uterq; nondum prehenſum ſuum eſſe uult, neuter illo potitur.

Fabula docet, inter altercandum, multa quæ placido conſenſu retineri potuiſſet, ſolere amitti. Nota eſt enim ſententia quæ uulgò fertur :

Nimiùm altercando ueritas amittitur.

PISCATORES ET TESTVDINES.

AD nauſeam uſq; ſaturi Teſtudinum carne Piſcatores, cùm etiam multum adhuc illius ſupereſſet, prætereuntem fortè Mercurium ad ſuas epulas inuitant. Qui non ignarus, quippe Deus, quo animo uocaretur, iußit ſuos ipſos Teſtudines uel edere uel uomere, neq; poſt ſua demum faſtidia conuiuas quærere.

Prodigorum ſtultitia notatur, qui ea alijs tribuunt, quæ ipſi deſpiciunt & paruipendunt, etiam ea, quæ quantiuis interdum precij ſunt.

VVLPES ET AVICVLAE.

DIu perpeſſa famem Vulpecula, cùm nihil ſucceßiſſet omnium artium, quæ ad uictum parandum

randum exercuerat multiplices, tum ſeſe illa præ mœrore animi abijcere humi, & ſecum miſeriam ſuam tacitè deplorare. Aues mortuam ratæ aduolare propius: illa ubi hoc uidet immobilis manet, & animam continet, ne aues ſpiritu uitam adeſſe intelligant. Securæ igitur accedunt, & in Vulpem inſiliunt: At illa, poſtquam cenſuit tempus eſſe, exilit, & comprehendit proximam, ac deuorat. Poſtridie experitur eandem fraudem: ibi una (Cornix ut opinor) Non, inquit, ſi tuam pellem in iſta ſepe expaſſam conſpicer, in illam inuolauero.

Docet fabula, fraudulentis nunquam fidem habendam eſſe: ipſis enim etiam quieſcentibus doli tamen uigent, & mouentur.

AGRICOLA.

ASſiduus Cereris cultor Agricola exoraueraT Deam, ut ſibi frumenta ſua abſq; ariſtis produceret. Ita enim rebatur minore cum labore exculpi poſſe. Sed indefenſa grana, de matureſcente tum ſegete, auiculæ excuſſere roſtris & deglutiuere.

Fabula narratur contra uotorum ſtultitiam, & oſtendit, imprudens ſpe parui commodi in magnum ſæpe malum deferri.

COncitatißimo impetu Columbam inſequens Accipiter, intra uillam unà cum fugiente aue defertur, & capitur à uillico. Hunc orat, ut ſe dimittere uelit: neq; enim te, inquit, læſi unquam. Cui reſpondit Villicus: Neq; ut opinor, mei te unquam læſere, atq; fracta illum gula interemit.

Fabula docet, uindicandas à principibus non minus ſubditorum iniurias, quàm ſi ſibijpſis allatæ eſſent.

ASINVS ET VITVLVS.

IN uno prato paſcebantur Aſinus & Vitulus. Cùm autem ſignum auditum eſſet aduentus hoſtium, quod de more ſolebat dari pulſato ære: Fugiamus, inquit Vitulus, ne in poteſtatem hoſtium deueniamus. Cui Aſinus: Fuge ſanè, inquit, cui cedes, & mactatio ab iſtis impendet: mihi periculum nouum nullum obijcitur, quàm ſeruiendi & ferendorum onerum conditio eadem manet, tam apud ciues, quàm apud hoſtes.

Fabula docet, certæ & exploratæ miſeriæ cum alia miſeria commutationem non eſſe pertimeſcendam.

PASTO-

PAſtores cæſa Oue conuiuium intra tabernaculum agitabant. Quod cùm Lupus, qui prædandi cauſſa caulas circuibat, fieri cerneret: Ego, inquit, ſi agnum rapuiſſem, quantum tumultus excitaretur? at iſti impunè parentem uorant. Tum unus his auditis: Noſtra enim, inquit, ſcelerate, non aliena Oue epulamur.

Docemur hac fabula, & potentes impunè peccare, & horum delicta non facilè reprehendi à quouis debere.

Narratur fabula eodem ſenſu & de mulierculis comedentibus Gallinam, ac Vulpe, quæ dixerit: Ego ſi hoc facerem, omnes iam Canes in me incitarentur.

EQVVS NOVITIVS.

MErcatus quidam Equum, cùm prius haberet ualde ſtrenuum, aliquanto cum maiore cura illum aluit, quàm alterum. Hoc mirari ipſe quoq;, atq; de ſocio cauſſam exquirere, Quid enim, inquit, eſt, cur me impenſiùs curet herus, multis nominibus te inferiorem? Neq; enim forma, neq; uelocitas, neq; uires meæ cum tuis comparandæ ſunt. Cui

ille : Nihil, inquit, nouum neq; mirum herus facit, sed hominum more prioribus posteriora, & recentia usitatis præfert.

Fabula leuitatem uulgi notat, & nouarum rerum studium.

CANIS ET SVS.

AD aucupia Canes diligenti & exquisita cura atq; ratione eruditi & instituti solent, & ad silentia uerberum minis & aurium uellicatione assuefiunt. Certæ autem nationis hi dehiguntur, quorum inprimis bona sagaxq; natura sit : Huius generis uni istam seruilitatem exprobrasse obesum & pinguem Suem, aiunt. Cui ille : Se non pœnitere breuis molestiæ, respondit, qua uitam sibi comparaturus sit delicatam, neq; pigere in præsentia tædij aliquantulum deuorare, ut lautissimis diu postea cibis perfruatur.

Fabula hortatur discipulos bonarum artium & uirtutis, ad labores, qui in discendo exhauriendi sint, perferendos spe maximorum commodorum, & iucundissimæ uitæ.

EQVVS ET PORCVS.

Alacriter

ALacriter ad pugnam Equus & armatus ipse, & armatum equitem uehens, proficiscebatur. Hunc conspicatus Porcus de luto, in quo uoluatur : Heus tu, inquit, quò properas, ignarus an m in prælio amissurus sis ? Cui Equus : Etiam inquit, mors impendet, & quidem oppetenda sine de, uti tuo domino satis pinguis factus esse uidebe- ac mihi quidem animam, si ita cadat, uiri fortis, lanij manus ereptura est.

Fabula, honestam mortem non nimiùm pertiscendam, docet, cùm etiam in summa ignauia illa ari non possit.

AMNIS.

TOntemsisse præ se Amnis fontes suos fertur, cùm & ipse piscibus abundaret, & flumine p, nec non grato alicubi murmure delaberetur. n etiam, inquit, tu intra muscos istos tuos & ulos delites, ego præter & amœnissima loca rum, & celeberrimas urbes, & populos ac gen- maximas ferox. Fontibus offensis superbia & ruitate alumni, placuit reprimere scaturiginem . Ita origine extincta, celeriter defecerunt fluuij, & alueus desiccatus fuit.

Notat fabula eos, qui sibi arrogant auto. ibus

ea

ea bona, quæ aliunde accepêre, & docet ab ingra
teterrimi uitij grauissimas pœnas dari solere.

CORNICIS CONSILIVM.

AVes deliberabant de creandis pluribus re
bus, quòd sola Aquila tam lati imperij h
benas moderari posse non uideretur. Sed Cor
hoc agendum non censuit: Nam & facilius, inqu
atq; citius unum dolium completur, quàm mult
& ad plura diuersaq; signa eodem momento ocul
dirigere quis possit?

Fabula & populis multitudinem imperanti
oneroſam esse, & non bene regere plures indic
secundum sententiam Homericam:

Non bene turba regit. Rex gentibus imperet un
Vnus & acceptas rerum moderetur habenas:
Qui Saturnigenæ tenet istud numine donum,
Vt sceptro populos & iure coherceat æquo.

PROXIMVS SIBI quisque.

CViusdam perquàm laudatæ fœminæ mari
grauiter ægrotabat, neq; posse diu uiuere c
debetur. Hoc illa ita dolenter ferre, ut mori
sæpissi

pissimè lamentis & eiulatu maximo citaret ad sese
o marito tollendum. Dicitur tum mors toties
cata tandem affuisse: At illa territa horribili
cie, & perculsa animo, mutataq; subitò uolun
te, mortem ad lectulum deduxisse fertur, & in
cato uiro eum esse dixisse, cui esset moriendum.

Doctrina fabulæ præscripta est: Omnes enim,
unt, sibi melius esse uelle quàm alteri.

ADOLESCENS CANTANS in funere matris.

DVcebatur funus defunctæ mulieri prodeun
tibus unà patre & filio, conductisq; qui mo
diam, ut fit, concinerent. Ibi filius inter lugen
s incedens cum patre, & ipse cantare cœpit.
ater autem increpat Adolescentem, & dicit insa
re qui in luctu cantitet. Adolescens autem: Quid
go igitur, inquit, ago aliud, quàm isti, quos ad
ncinendum tu conduxisti? Sed non decet, inquit
ater, te hoc tempore, quod illos.

Fabula docet, omnem laudem uitæ & id quod
decorum uocatur, totum temporibus & loco &
ersonis contineri.

ASINVS

ASINVS AEGROTANS.

INcrebuerat fama, Asinum iacentem in morbo non procul à morte abesse. Veniunt igitur ad domum in qua ille decumbebat, Canes & Lupi, & ostium aperiri, & se intromitti ad uisendum ægrotum postulant. Sed Asellus paruulus per rimam ianuæ respondit: Nihil hoc officio opus esse patri suo, atq; eum melius etiam ualere, quàm ipsi uellent. Simulata & fallacia officia hac fabula notantur.

ASINI LAPSVS.

ASinus post longam & probatam seruitutem suam, & multas onerum atq; baiulationum egregias operas, quodam tempore sub ualde graui onere, cùm ad saxum improuisum offendisset, in uia cecidit. Tum accurrit agitator, & inclementissimis uerbis, atq; uehementibus etiam plagis illum impetit. At Asinus secum, & suam sortem deplorare, & accusare ingrati domini sæuitiam, qui oblitus omnium priorum, ob unam fortuitam offensam tam grauiter se affligeret.

Fabula significat, ferè homines quid quoq; temporesiat, non quid aliquando factum sit, spectare, & unum sæpe delictum memoriam multorum egregiè factorum inducere ac delere.

HYSTRIX

PÆDOLOGIA PETRI MOSELLANI PROTEGENSIS, IN Puerorum usum conscripta, aucta, & pluribus in locis à mendis repurgata.

DIALOGI XXXVII.

DIALOGI PVERILES Christophori Hegendorphini XII. lepidissimi æquè ac docti.

FRANCOFORDIÆ AD ODERam, in Officina Iohannis Eichorn.

PETRVS MOSELLANVS Iohanni Polyandro, Lipsiæ apud diuum Thomam Ludi magistro suo, S.D.

EST VQVIDEM mi Iohannes, iam annos multos re ipsa expertus, quanta cum difficultate, & quàm serò infirma puerorum ætas ad Latinitatis antiquæ imitationem perueniat. Nam cũ post prima rei Grammaticæ rudimenta, tenera ingenia statim ad Latini sermonis vsum adigantur, nec tamen vlla eis via ad hanc rem demonstretur, fit vt dum vtcunq; quod iubentur, præstare conantur, nouam quandam loquendi rationem, planè barbaram, & per vernaculi sermonis vestigia ingredientem, inter sese sibi ipsi confingant. Quod vitium rudibus animis & per hoc tenacioribus primum impressum, postea nulla arte deleri potest. Atq; hæc causa mihi videtur, quod non Germani solum sed & Itali, qui nobis hac parte feliciores videri volunt, sermone quotidiano immundo adeò & parum proprio

Cur pauci latine loquuntur.

vtuntur. Videas enim bonam partem eorum qui hodie linguam latinam profitentur, in loquendo nihil minus spirare, quàm natiuum illum & incorruptum Romani sermonis odorem. Vt candidissimæ eloquentiæ scriptor Fabius de extemporali orationis facultate frustra scripsisse videatur. Quid? quod hoc malum grauioris etiam ætatis profectionibus omnem aufert gratiam: Alioqui qua causa malè audiunt apud Quintilianum, & item Gellium ὀψιμαθεῖς, nisi quòd à teneris, vt aiunt, vnguiculis, optimis non sunt assueti? Optima quæq; in autoribus citra delectum in suum vsum conuertunt, vt dictio eorum omnis non propria & domi suæ nata, sed è variis scriptoribus hostiatim quasi mendicando congesta, delicati iudicij hominibus non possit non pudere. Hæc cum tu non minus acutè quàm grauiter perpenderes, nihilque haberes potius quàm puerorum, qui tuæ fidei sunt concrediti rudem, & ad omnia sequacem animum ad optima quæq; perducere, mecum egisti sæpe, vt loquendi formulas aliquot, quibus ea ætas vti posset, conscriberem. Diu, vt nosti, sum reluctatus, partim quod ipse grauioribus occupatus hanc operam vtilissimam quidem illam, sed in speciem tamen humilem, & pene sordidam dedignarer, partim quod, quia in ludis eiusmodi ipse non admodum essem versatus, vix possem eam quasi personam cum decoro gerere. Videbam enim ad hanc fabulam

In x institu: orator.

Quint. in 1 cap. ultimo, & Gel in 11. cap. 7

Formulæ ad quarum exempla pueris sit assuescendum.

iam agendam opus fore denuò repuerascere, & vt ait Flaccus: Ludere par impar, equitare in arundine longa. Sed cum tu rogandi finem faceres nullum, pariterq; te, qui probè puerorum sensum calleres, si qua nobis hac parte deessent, suppleturum promitteres, volui quamuis calumniam subire potius, quàm vel tibi amico tum synceriter amanti, tum prudenter roganti, quicquam negare, vel meo pudore publicum pueritiæ commodum diutius remorari. Iam si quis est, qui vehementer putet indignum, has sicuti prima fronte videntur, nugas in chartarum perniciem scribi, is mihi virum paulisper exuat, & in puerum redeat, cogitetq; iam primum sibi Latini sermonis vsum discendum. Statim opinor videbit, quam facilè, & nullo penè negocio, per eiusmodi fabulas, velut quosdam gradus, ad Terentij proprietatem, ac Ciceronianam facilitatem, prima illa ætas traduci potuisset. Quis autem laturus esset, imò, quis non statim exibilaturus, si ex puerili persona, tetricam istam senum sapientiam sonarem? Tametsi sunt his nugamentis nostris admixta quædam, quę seria ducere videri possint. Vsq; adeo, vt & hoc nomine ab Aristarchis istis vix tutus sim futurus. Sed malui ego decori paulisper oblitus, paucula subindè aspergere, quę, si pueris literatores prælegant attentè, queant cum studiorum abusum tollere, tum, pueritiæ mores ad Christianam regulam corrigere.

In arte poëtica.

Terentij proprietatem commendat maximè Seruius.

Et Ciceronis facilitatem Fabius.

Vide Aristarchi apel. Chiliad. Erasmi.

Hos labores tibi, mi Polyander, dicare volui nominatim, vt qui autor nobis, & adiutor ad hæc scribenda fuisti. Idem quoq; suscipias, quicquid id est libelli, tua facundia, autoritate ac gratia tuendum. Quod si ex hac editione ad te impulsorem, & me scriptorem, aut nulla, aut tenuis admodum gloria redibit, solemur nos ipsi per hoc, quod nullo popularis auræ pruritu, sed pio & simplici animo vterq; nostrum hoc negocium tractauimus, tu adhortando, ego scribendo, siquidem iuuare studuimus, saltem aliquos, nocere nemini.

Benè vale. Lipsiæ, ipsis feriis diui Matth. apostoli. Anno 1517.

Dialo-

DIALOGVS PRIMVS.

CASPAR ET MODESTVS. De nundinis fabulantur.

CASPAR.

AGE uerò Modeste, quot dies hinc absunt Nundinarum feriæ, quibus frequentes adeò huc peregrini aduenium mercatores? MO. Dies, ni fallor, quatuordecim, nam accuratè singulas penè horas ad calculum uoco. Siquidem nullum tempus totius anni cupidius expecto, quàm nundinarum. CAS. Non iniuria, quandoquidem hæ feriæ partim nuncios, partim literas, partim omnibus literis gratiores pecunias nobis adportant. Quod si non & mihi iam plane exhausto proximæ nundinæ argenti subsidium attulerint, non potero hic diutius durare. MO. Pecunias quidem, id quod satis scio, accipiam nullas. Pannum tamen in uestem hybernam, se discedente, mihi missurum, promisit pater. CAS. Vtinam uterq; uoti compos fiat, ut & tu commodius uestiatur, et ego numatior, urgentis hyemis iniurias, minore negocio propulsare queamus.

Ad calculum uoco, id est, supputo.

OSVALDVS ET MICHAEL.

De natali celebrando. De receptis pecunijs. Deq; bono cuiusq; genio.

NOn tu hodiè natalem tuum celebras, atq; nos tuos sodales conuiuio excipis? An ignoras hunc diem diuo Michaeli, cuius tu nomen refers, esse sacrum? MICH. Scio equidem, quid autem facerem, quandò ne obulum quidem habeo, quo panem emere queam, nedum conuiuia agitarem. OS. Non his nundinis à parentibus tibi nummi sunt missi? MICH. Sunt utiq;, sed ante nundinarum exitum è mercatore, qui literas modo dedit, extorquere possum nihil, ait enim sibi in tanto hominum strepitu ocium ad numerandas pecunias non esse, alioqui, non modo natalem meum conuiuio exciperem, sed & genio bono (quem angelum dicimus) peculiari aliqua hilaritate gratificarer. OS. Itaq; Terentiano illo satis excusati sumus, Vt quimus, aiunt, quando ut uolumus, non licet.

Alluſio ad prouerbiũ Ne obulus quidem eſt quo reſtim emam.

Antiquitas cuiq; homini duos genios attributos putabat, alterũ bonum, alterum malum, quos Theologi angelos uocant.

DIALOGVS III.

PETRVS ET PAVLVS.

De reditu in patriam. De literis à parentibus acceptis. Deq; miſsione flagitanda.

SAlue mi Paule. PAV. Et tu ſodalium iucundiſſime Petre. Sed quid adeò es triſtis? Nam ex quo communia ſtudia, idemq; hic ludus, mutua nos familiaritate iunxerunt, uultu alacri, & feſtiuo mihi ſemper es uiſus. Vt ex his, quos hic habet ludus, fuerit nemo, qui non te familiariter uti concupierit, nunc neſcio, quomodo alius uideris. PE. Et mirum ſibi uidetur, ſi uultu ſum triſti, cum eiuſmodi quiddã mihi accidat, quod ſtudiorum meorum progreſſum non parum queat remorari. PAV. Quid illud quæſo? Nam graue aliquid ſit oportet, quod adoleſcentem conſtantem à ſtudijs deducat. PE. Dicam paucis. Iam annus fermè eſt, ex quo ludi huius noſtri celebritate excitus huc, ad capiendum ingenij cultum conceſſi, quo tempore ſtudiorum meorum uix rationem inueni, tum mihi è patria offeruntur literæ, quæ me domũ quaſi ex medio ſtudiorum curſu reuocant. Et quod me omnium maximè malè habet, reditus mei cauſas non edunt. Nec ſcire poſſum, an huc tandem liceat remigrare. PAV. Qui ſcis, an ad fortunam aliquam uocaberis? PE. Nulla mihi fortuna poteſt incidere tanta, cuius reſpectu literas queam poſthabere. PAV. At parentibus eſt obſequendum. PE. Hoc illud eſt, quod me mouet, quod me hinc domum extrudit. Alioqui, tametſi non tantum eſt æris, quo hanc hyemem tranſmittere queam, tamen præ ſtudiorum amore uictum mendicando hoſtiatim quæritaſſem. PAV. Non antequam hinc abeas, nunquam forſan redituro, conuiuium inter nos agitabimus? PE. Conuiuia agitarem, qui ad ſupellectilis meæ ſarcinam ponen-

Vide Eraſmum in Prouerb. Genius malus.

ponendam, uix tempus habeo? Imò, iam recta ad Ludimagistrum pergo, missionem efflagitaturus quã ubi fuero consecutus, conterraneorum meorum literis, quas ad parentes suos mihi dabunt, acceptis, statim iter ingrediar. Quare rectissimè uale mi Pamphile, mutuæ nostræ consuetudinis memor. Quod si quãdo dabitur ocium, fac de studiorum tuorum ratione, & ludi huius statu, me literis tuis certiorem reddas. PAV. Faciam sedulò mi Petre, & lubens quidem. Sed heus tu. PE. Quid est? PAV. Conterraneos tuos, quorum consuetudo cum hic erant, utriq; nostrum erat grata, meo nomine diligenter salutes uelim. PE. Sat est, faciam.

DIALOGVS IIII.

De conueniendo Præceptore, missione impetranda, deq; gratijs Præceptori agendis.

PANDALVS ET PETRVS.

QVis es, qui trepidè adeò pulsas ostium? Ecquis Petre, tu ne pulsasti? PE. Pulsaui. PAN. Sed qua gratia huc intromitti postulas, non ut Magistrum conuenias? PE. Maximè, si est intus, habeo quod cum eo agam ipse. PAND. Est intus. Sed mane paulisper, dum huc tibi renuncio, an hoc temporis articulo, ei te audire uacet. Here Scholasticus quispiam foris expectat, qui si non sit molestum, cupit te de re quapiam conuenire. LVDI. Quin huc adsit. PAN. Iam iam aderit. PE. Salue Præceptor optime.

optime. Auocor hinc in patriam serijs parentum meorum literis, & si non auocarer, ipsa tamen æris egestas, & idem nuditas, domum abigere me possent. Itaq; gratias ago tibi immortales obseruandissime præceptor, quod me primum in tuam disciplinam humanissimè recipere dignatus es, deindè, ex quo tuæ Scholæ fui sectator, fideliter & accuratè tàm literis bonis, quàm rectis moribus expolire studuisti. Porrò quia, ut dixi, amplius hic morari non licet, quàm possum amanter oro, ut qua humanitate me hactenus tractauisti eadem & remigrandi potestatem concedas. Etenim, si modò id pace fiat tua, crastina luce iter sumus ingressuri. LVD. Si quid feci, quod gratum sit adolescens studiose, hoc totum non mihi sed Præceptoris officio feres acceptum. Cæterum, quando te hinc parentum literis auocari dicis, abi me permittente bonis auibus, quocunq; te, uel parentes uocant, uel rectius forsan consilium hortatur. PE. Sed illac qua iter sum facturus, amicos ne aliquos habes, quos literis salutare cupias? Quandoquidem ipse perferendi onus in me lubens recipio. LVD. Non admodum, & ut maximè haberem, tot tamen negocijs in præsenti districto, scribere non uacaret. Quare tu, quod ad literas attinet, securius iter destinatum, quando lubet, capesse. PE. Benè uale.

DIALOGVS V.

MARCVS ET IOANNES.

VNde nobis aduenis mi Ioannes? aut quo animo huc ad nos es profectus? neq; enim opinor ludi huius gratia aduenis, qui ante tot meis, atq; item aliorum literis inuitatus, huc pertrahi non potuisti. IO. Imo hac ipsa caussa adsum. MAR. Vtcunq; sit, gaudeo te festiuissimum sodalem nobis redditum. Et hic aduentus tuus, non mihi solum, sed omnibus, qui te norunt, optatus est. Sed enim aperias oro quidnam sit illud, quod te tandem huc allexerit. IO. Vis scire? MAR. Volo. IO. Audies. Quum primum puber factus, grauiori paulò cura Præceptorem scriptores Latinos prælegentem audire cœpissem, subindè Græculæ aliquot uoces nobis occurrebant. Quo loco Præceptor suo munere egregiè se putabat perfungi, quoties obiter tantum admoneret, esse ea Græca, perindè ac si peregrina ad nos nihil attinerent. Hic quid alijs audientibus in mentem uenerit, nescio, equidem sic cogitabam, si ad nos hæc non pertinent, ut nec cognita doctum, nec incognita imperitũ reddant, cur non ex libris, tanquam offendicula quædam penitus eradimus? Deindè mirabar ueterum scriptorum penè omnium curiositatem, qui non solũ magna cura peregrinas istas nugas didicissent, sed & libris suis, uelut maculas quasdam insperssissent. Postremò quanquã à præceptore liberè dissentire erat religio: tamen cum audirem esse uiros graues multos, qui has sicuti tum putabatur, nugas amplecterentur, profiterenturq; paulatim circumspicere cœpi, utrum credere mallem, magistrum ne meum potius ignorantia laborare, an totam semel antiquitatem & ex recentioribus optimos quosq; pueriliter delirare. Itaq; sic mihi inter hæc fluctuanti, & in quam partem inclinarem hæsitanti, fortè fortuna cecidit, ut M. T. C. libros de officijs, enarrandos præceptor susciperet, in cuius actionis ingressu, statim in ipsa præfatione grauissimus ille, & Philosophus & Orator, unico suo filio suadet, ut Græca cum Latinis coniungat, quo par sit in utriusq; orationis facultate. Hoc ubi præceptore dissimulante mihi arripuissem, grauiter dolere cœpi, quod gratam nobis occasionẽ eas literas discendi, quarũ studium, si essent inutiles, nec laudaret Consul Romanus, nec filio unico iniungeret prudentissimus pater. MAR. Iam uideo quò tendas. IO. Mane, nondum omnia habes. Cum hæc subiratus mecum agitarem, ecce rumor apud nos increbescit in hanc laudatissimam Academiam Principis munificentia accersitos, qui publicè Græcas literas doceant, & ex eorum uenis fontibus nonnihil quoq; in ludum literarium deriuari. Hæc fama partim literis, partim commeatibus confirmata, illinc me utriusq; eruditionis cupidum excitit,

Mos eorũ qui citra Græcæ linguæ cognitionem docendi prouinciam assumunt.

Nemo olim habebatur doctus ex latinis, quẽ non par esset in utriusq; orationis faaultate.

exciuit, & huc appulit. Habes cur aduenerim, nim
rum in hoc uestro ludo, ut Græcæ linguæ Elemen
saltem liceat percipere. MAR. Dubio procul cor
pos eris, neq; aliquo aliò felicius te conferre potu
ses, adeò hic omnia nobis sunt commoda. Deniq; quæ
peculiariter ad rem pertinet, ludus, si quisquam a
bi instructissimus. IOAN. Sed quandò satis fabula
sumus, hanc operam non negabis opinor, ut me a
Ludimoderatorem deducas, siquidem iam statim n
men in hanc literariam militiam dare sum parat
MAR. Faciam ac lubens, tu me sequere.

DIALOGVS VI.

De recipiendis in disciplinam Scholasticis.

MARCVS, LVDIMAGISTER ET IOANNES.

EN tibi Præceptor optime, adduco hic quē
dam, cum quo iam annos aliquot mihi fuit f
miliaritas, hominem bonum & studiosum,
tui ludi fama excitus, huc appulit. Quare magnæ
licitatis loco ducet, si se in tuorum gregem recipe
dignatus fueris. LVDI. Adolescens bone, quod t
est nomen? IO. Est mihi nomen Iohannes. LVD
Faustum planè nomen es sortitus, quippe hoc H
bræis à gratia dicitur. Quamobrem summa ope t
est enitendum, ut tam gratiosi nominis expectatio
ni, pro tua uirili respondeas. IO. Equidem pro ui
bus sedulò dabo operam, teq; in hoc mihi adiutor
fo

Vide Hieronymum in Comment super Matthæum in defensione.

e spero. LVDI. Sed & ipsa corporis tui facies
ingenium subesse ostendit, qui neq; à literis, neq; uiri
abhorret, adeò, ut si fortiter egeris, & de te dici
tum posit illud: Gratior est pulchro ueniens è cor
pore uirtus. Quo libentius te in meam disciplinam
cipio, si modò das fidem, te boni discipuli officio
d me functurum. IO. Do fidem me in omnibus
d rectum erit, quoq; tu iusseris facturum. LVD.
spero quidem. Sed quæ tibi est patria? Vt in ratio
nem hoc quoq; adscribam. IO. Patria mihi est Au
oppidum Franciæ orientalis, non procul ab Her
poli, celebri sacerdotum sede situm. LVD. Sat ha
n, quod superest, curabitur tibi pro tua sorte, com
ditateq; domicilium. Ac tu quidem in eo sic te ge
ne aliqua macula hinc in nostram Scholam redun
t. IO. Quod ad hanc rem attinet, securus esto op
me Præceptor, nam, ut inquilinum decet, modestis
agam. Nunquid aliud mihi uis iniungere? LVD.
bil, Nam si quid superest tibi præstandum quoti
inter prælegendum à nobis dicetur.

Virgilius Æneid. 5.

Dedimus hoc memoriæ optimi & doctissimi iuuenis Gregorij Aubani, amici nostri qui Lipsiæ magna laude docuit, quem immatura morte sublatum dolemus.

DIALOGVS VII.

De domicilio commodo atq; incommodo, deq; paupertate ac opulentia Scholasticorum.

IOSEPHVS & CLEANTES.

QVid agitur mi Cleantes? Contigit ne tibi
commoda habitandi ratio? Aut adhuc in
certis sedibus oberras? CLE. Contigit quidem

dem habitaculum, sed eius commoditas tanta non
quuntam fore speraui, siquidem spes erat fore, ut
uis alicuius beneficio, una cum domicilio, & uict
quemcunq; nanciscerer. Verum multo aliter euen
Nam uix impetrare potui, ut pro locario statuto
hi angulus in ludo locaretur, uictum uerò, quan
pecuniæ est parum, bostiatim emendicare oportet
nisi fortè melior mihi fortuna posthac euenerit.
aũt felix es mi Iosephe, cui parentes tantũ sumpt
suppeditare sufficiunt, quantum ad studiorum co
moditatem est satis. IO. Est, Dijs gratia, unde h
commoda mihi parem, sed quò plura mihi sunt ad
sciplinas parandas commoda, eò ipso graniori digr
essem odio, si non plus quàm uestrum quispiam di
cero. Attamen nec uos de mediocri studiorum u
strorum profectu desperare decet. Quandoquidé
constat, multos humili natos loco, ad hæc, nullis or
nimò fortunæ dotibus adiutos, ad eruditionis fastig
ascendisse. An non Democritus ille Physicus ex b
iulo factus est Philosophus? Non Cleantes, cuius
nomẽ refers, aquis noctu hauriendis diurnum uictu
sibi quæstuit? Et quem Stoicum hic non æquauit? S
& Plautus inter ipsos pistrinæ molestos labore
laudatissimas illas Comœdias conscripsit. CLE. Hi
eiusmodi alijs exemplis animatus, in studijs perseu
ro, alioqui me iãpridẽ ad manuarium aliquod artifi
ciũ transtulissem. Quãquam sunt mei ordinis plæri
adol

Vide Gell. in 2. ca 21.
Vide Gell. in 5. cap. 3. & Laert. in uita Democriti & Cleant.

doleſcentes in ludis magis putreſcentes, quàm flu
ntes, adeo infelici ingenio, ut ad nullas literas sint
positi, hi mihi nulli alij usui uidentur in ciuitati
is, quàm quòd alios mendicos, dum eis panem præ
piunt, ex urbibus pellunt, ijsego consulerem, ut se
aliquod aliud studium applicarent. IOSE. Probè
ck mi Cleantes, nam si omnes eiusmodi essent inge
o prædíti quali tu, fouendos modis omnibus puta
m. Certè quod ad te attinet, spero propediem tibi
eliorem fore conditionem, nempe, ut apud ciuem
empiam, cui nonnunquam inseruias, omnem studio
m commoditatem sis habiturus. CLE. Vtinam De
ita faxit IOSE. Faxit, ne dubita, & in hoc mea
mmendatione inuabere.

DIALOGVS VIII.

ANDREAS ET PHILIPPVS

De uindemia & aucupia loquuntur.

VTinam mi Philippe iam domi apud parentes
ageremus. PHI. Quid ita? ANDR. Rogas?
imminet iã uindemiæ tempus, quo nullum to
anno nostratibus accidit lætius. PHIL. Quid ego
udio? Tu ne simul uinitorem uis agere, & litera
m cultorem? ANDR. Animi causa racemos de
rperemus, degustaremus è lacu mustum, neq; enim
utius abesse optarem, quàm mustum in dolia con
itum deferbuisset, despumasset q;, ad hæc decoque
mus sapam, defrutum, ac uini ueteris fecem. Quid,

quod nobis liceret, & aucupio uoluptatem quærerem. Siquidem uolucres captaremus iam retibus explicatis, iam pedicis fixis, nonnunquam uerò & uiminibus uiscoo illitis. PHI. Sine parentes harum rerum curam gerant, tu si sapias, in literis te oblecta. AN. Atqui audiui magnos uiros in eiusmodi rusticis rebus oblectationem quæsiuisse. PHI. Rectè quidem magnis uiris hæc sunt permittenda, nobis uerò, qui nondum ultra primas literas progressi sumus, non itidem. AN. Sed per tu quidem meis affectibus obstrepis, non minus quàm præceptor. PHI. Quod ad me attinet, age age ut lubet, me certè non habebis huius tuæ stultitiæ comitem.

Pulchrè hos captandarum auium modos dactylis cõplectitur Prudentius in hymno cuius initium O crucifer &c. Vide Plin. in 18. cap. 1, & Cicero in Catone maio.

DIALOGVS IX.

THOMAS & HIERONYMVS De Autoribus proximo semestri in Schola prælegendis.

QVid est quòd illac uenis Hieronyme, aut ubi fuisti? HIER. Redeo à Præceptore eo, qui à Ludimagistro primas tenet. THO. Age, quid is narrat de autoribus hoc semestri prælegendis? iam. n sicut opinor, eorum delectum habuerunt. HIER. Habuerunt, idq; sicuti dici audio, prudenter. Nam præter utriusq; linguæ rudimenta, ex Fabij præscripto coniunctim tradenda, primum Terentianas Comœdias exponendas susceperunt, quod hic scriptor ex latinis penè solus, Romani sermonis nati-

uam & genuinam proprietatem retinet, adeo, ut Marcum T. oratorum principem, puduerit ad huius exemplum orationes suas formare. Deinde Mar. tullij Officia, quod hic liber non linguam solum elo quentia expoliat, sed & pectus rectis moribus imbuat, unde & Plinij iudicio non legendus, sed ad uerbum sit ediscendus. Postremò aliquot Virgiliani cõmatis libri exponentur, nempe ut Augustini iudicio, optimus Poëta teneris animis infixus, in omnẽ ætatem uitam hæreat. Ad hæc quando parum est æquum christianos in gentilium libris esse totos, his diebus quibus feriæ agimus elegantissimos simul & grauiss. hymnos, Aur. Prudentij grauis & sancti uiri audiemus, aut si displiceat, Enchiridion militis Christiani, ab Eras. Rot. accuratissimè elaboratum. Quæ si (ut spero) & pro suo officio explicarint accuratè præceptores, & nos pari diligentia exceperimus, non opinor malè hoc semestre nobis fore collocatum. TH. Non iniuria hunc laudant delectum mi Hieronyme, neq; enim unquam eorum mihi placuit institutum, qui his, & id genus alijs optimis Scriptoribus postpositis, in Apuleio, Capella, & eius farinæ autoribus ceteris, bonas horas malè collocant, qui Scriptores Ciceroniana eloquentia non contenti, sibi solis nouã dicendi rationem inuenerunt, quasi non summum sit orationis uitium à communi dicendi consuetudine abhorrere. Nam qui citra delectum Catullos, Tibullos

ferimus ad stylum parandum plusobsunt quam prosunt. Leguntur hi à confirmati iudicij hominibus tũ cum mores sunt in tuto.

Martiales, & huiusmodi enarrant, & per hoc discipulos peregrina & prodigiosa docent uitia, hi mihi non uerbis, sed uerberibus coercendi uidentur. Hi enim sunt illi Poëtæ quos solos è Republica sua pellendos statuit Plato. Atq; hæc non ex me dico, sed quòd sic censentes audierim doctißimos pariter, & integerrimos uiros. HIE. Recte ergo facit ludi noster Magister, qui eiusmodi nihil in scholam suam irripere sinit Sed ego iam rectè hinc in bibliopolium concedam, libros de quibus dixi, coempturus, THO. Nosti quanti hæc simul emi possint? HIE Haud dum licitatus sum, opinor aureo nummo, si quidem audio indicari argenteis uiginti quatuor. THO. Bene habet, quòd non pluris uenduntur, alioqui, quæ mea est egestas, coëmere non sufficissem. HIE Eamus ergo. THO Quando uis, in me non est mora.

DIALOGVS X.

De relegenda prælectione, de ediscendo, deq; annotandis ex Autoribus loquendi formulis.

PHÆDRVS & ætate & eruditione maior, cum fratre suo IOHANNE loquitur.

QVid tu ociosus hic desides, & non potius prælectionem modo auditam relegis? IO. Relegi atq; adeo bis teruè. PHÆ. At fortasse non satis accuratè. IOH. accuratißimè, ut totam etiam memoria complectar. PHÆ. An tuo te officio satis

satis perfunctum credis, si memoria tantum teneas, & Psittaci more, uerba non intellecta, præceptori reddas? IO Quin intelligo omnia. PH. Hui omnia? Abusus memoriæ non intellecta tradentiũ.
uide quid dicas. IO. Omnia inquam, ut maximè tibi uideatur incredibile, atq; id ut credas facilius, liberam tibi est, singula quæ ad modo auditam prælectionem attinent, ex me perquirere. PH. Singula persequi in præsentia non est ocium, hoc tantum quæro: Primo, An totam autoris sententiam, ex Præceptoris interpretatione sis assecutus, & qua quidq; ratione, quoue consilio sit dictum, intelligas. Deinde singulas ne clausulas expenderis, uidelicet, si quam habeant sententiam insignem, si quod prouerbium, si quod χῦμα, si quem tropum, si quem colorem Rhetoricum, si quem locum Dialecticum. si quas uenustè loquendi formulas, quæ omnia annotare operæ precium est, partim ut sit in promptu semper quo mores nostros, pariter & alienos corrigamus, partim ut ex idoneis scriptoribus suppetant rectè loquendi scribendiq; exempla, ad quæ crassißima illa hodie barbarissantium loquendi consuetudine post habita, oratione nostrã componere queamus. Postremo, si quod dictum antiquè, si quod nouè, quod loquendo, si quod parum Christianè, quod uiuendo exprimere non conueniat. Hæc Magister tuus, uir non solum doctus, sed & prudens inter prælegendum diligenter admonere solet, & ipse eiusmodi, cũ id ætatis eram, in scholis

Quid ex prælectione docta sit expectandum.

non oscitanter excepta, domum regressus partim memoriæ, partim chartis fidis memoriæ custodibus commendabam. Sensi namq; hac diligentia meum hebetem proficere. Quod si fratris uestigijs insisteres, idemq; faceres, iam certè non hic, sed libris assideres. IO. Nimis multa in puero requiris. Equidem ut quod uerum est, tibi respondeam in his, quæ tu mones expendenda, pleriq; omnes sumus negligentiores, nimirum contenti singularum dictionum, quæ in contextu reperiantur, respectum habuisse, uidelicet, quã ex octo orationis partibus habeant pro genere, quæ sint accidentia, cuius generis, simplicia sint an composita, in quam cadant declinationem. Item quæ partium sit inter sese constructio. PH. Rectè, sed & illa non oportet negligere. Alioqui non uideo quid refert, Terentium, Ciceronem, Virgilium, & similes tanta cura sine fine tractari, si non inde aliquid, quod uel ad rectè uiuendi rationem, uel dicendi facultatem faciat, consequamur. Ipse certè eam lectionem, ex qua auditorũ imitationi nihil accedit, nullam puto. Tantum abest, ut istos probem, qui scriptorum sensum exposuisse ut cunq; contenti, nullam imitandi uiam discipulis commonstrant. Tu uerò quando præceptorem nactus es doctum & fidum, fac eius tum doctrinæ, tum fidei diligentia tua respondeas. IO. Dabo operam sedulò, ne quod ad hanc rem attinet, iure me posthac obiurgare queas. Sed iam 12. horæ signum auditur, quare hinc ocyus in ludum contendam. Dia-

DIALOGVS XI.

Complectens formulas loquendi de ferijs.

STEPHANVS & LAVRENTIVS.

QVem aiunt hodie apud populum in templo nostro concionaturum mi Laurenti? LAV. Audio quempiam è monachis in suggestum proditurum. STE. Miror non insignem aliquem Theologum ei negotio adhiberi, maximè cum ingens hominum turba hodie in hanc ædem confluat, propterea quòd sacrificus quidam nuper in sacerdotum ordinem assumptus primum sacra faciet. LAV. Et mihi mirum uidetur, quanquam, quod ad me attinet, uellem concio quàm breuissima haberetur. Etenim iam nunc uehementer esurio, biduario iam penè ieiunio maceratus. Nam his diebus, quibus à carnibus abstinetur, nunquam abeo rectè saturatus. STE. Duas adhuc horas edendi auiditas tibi est reprimenda, siquidem præter concionem, quæ horam poscit, scis quantum temporis in summo sacrificio Choraula sibi sumat, quem etiam penè superant hæ nostræ cantiones supra modum prolixæ. LAV. Malè sit istis, qui harum rerum nobis sunt autores. Ipse certè statim, ubi peractum fuerit sacrum, ad diuitum ostia citato cursu contendam, ut si non in primis, secundis saltem, aut tertijs stipem accipiam. STE. Sed me uix animaduertes. LAV. Res ipsa indicabit.

DIALOGVS XII.

CLEMENS & REMIGIVS, DE die à ferijs secundo, quem Martis uocant, confabulantur.

VÆ nobis, mi Remigi, ultra præscriptũ dormiuimus. Iam enim Sol undiq; plena luce resplendet, ut septimæ horæ signum datum liceat cõijcere. REMI. Non opinor, cœlum alioqui præter morem est serenum, etiamsi alias hoc die somnolentiæ meæ pœnas non rarò dedi. CLE. Vtcunq; sit, malè metuo mihi à ferula, quare occasionem aliquam, quæ hodie è scholis emanere liceat. quæram. REMI. Quã eam? CLE. Scis quid à nobis heri contenderit hera nostra? REMI. Scio, nempe ut familiam hauriendis aquis iuuemus. CLE. Sed quid tum? REMI. Hæc erit prima satis idonea, per quam elabamur, quamobrem tuum erit, ubi octauæ signum auditum fuerit, quasi è medijs laboribus in ludum ingredi, atq; à præceptoribus emanendi copiam poscere, hac ipsa quam dixi, causa assignata. CLE. Vereor ut procedat commentum, quandoquidem hoc die, quo funus magnificum est deducendum, & defuncti manibus parentandum, uix facultatem hanc dabit, & alioqui pauci iam adsunt qui pompam instruant. REMI. Tendandum est, utcunq; res exeat. Ac nescio quomodo hoc die mihi semper inuisum est scholas adire non minus, quàm si in pristinum aliquod mihi sit redeũdum. Credo quod pridiani ocij sensus adhuc reliquus sic reluctantem faciat. Dialo-

DIALOGVS XIII.

BVRCHARDVS ET ALBINVS. De nuptijs, balneis, ac uiscerationibus.

NVptias hodie futuras audisne Albine, tu quippi am ea de re audisti? ALB. audiui. BVRCH. Danda est opera, ut & nos è nuptialibus cibis aliquid acquiramus. ALBI. Quod ad cibum attinet, hodie nihil moror, heri enim mihi prospexi, unde hunc diem commodè liceat transigere, sed quòd à prandio saltationem in theatro spectare non possum, hoc uerò est, quod me malè habet. BVR. At quid uetat, quo minus spectes? ALB. Ignoras forsan in hunc diem nobis pij cuiuspiam beneficio, balneas gratuito conductas, è quibus abesse saltationis spectandæ studio, an tu putas fore consultum? BVR. Vide, nisi submonuisses, egregiè fuissem oblitus, neq; uenisset in mentem uiscerationis, quæ & ipsa in hodiernũ diem est constituta. Valeant nuptiæ cum sponso & sponsa, nos quæ propius ad nos pertinent curemus. Die Sabbati. Die Saturni.

DIALOGVS XIIII.

SIXTVS ET ALEXANDER, De ingenij præstantia contendunt.

FElix tu quidem es, mi Alexander, cui ingenium tam fœcundum, tamq; perspicax contigit. ALEX. Est nobis, Christo Deo Gratia, non omnino infelix, sed tamen non tantum, quàm forsan

tibi uidetur. Fit enim, nescio, quomodo, ut nostri nosmet pœniteat, aliena ferè suspiciamus. SIX. Et tu quantum audio, aliquid insuper desideras. ALEX. Quidni? quando memoriam mihi sentio omnino fluxam, & parum tenacem, nam ut facile quæ traduntur, percipio, ita non sine maximo negocio percepta retineo. SIX. At ego difficulter intelligo, uerum semel intellecta, diutissimè reseruo, &, ut uideo, tibi cereum est ingenium, mihi uerò saxeum, ceræ quiduis facilè impresseris, ac impressum uestigium statim euanescit, saxo tametsi quod non sine labore insculpitur, semel tamen insculptum, multis seculis durat. ALEX. Rectè planè refers, sed hoc me malè habet, quod uideas plerosq; ingenio numeris omnibus felicissimos: præditos, ac uicissim moribus adeo turpibus, ut non ineptè dixeris, eorum ingenia malè habitare. SIX. Credo dicterium hoc uetus esse, & olim de Galba, homine ad prodigium usq; deformi dictum, sic enim audire commemini. ALEX. Probè, sed nec ipse opinor, ineptè huc detorsi.

Vide Macrob. in Satur. de dicterijs.

DIALOGVS XV.

De signo tintinnabulorum, deq; immodico somno.

SERVIVS & SVLPITIVS.

QVin surgis Sulpiti? Iam tintinnabula ultimum diluculatis sacrificij signum dederunt, & non ignoras quanta hominum frequentia hoc sacrum peragatur, ut flagitium planè sit,

nos

nos in tempore non adesse. SVL. Iam iam surgam, tametsi caput adhuc sopore graue sentio. Vtinam liceret ad satietatem usq; dormire. Imitarer certè hodie Horatianos illos iuuenes, quibus pulchrum uidetur, in medios dormire dies. SER. At ego te diutius non operior, ne hæc mora mihi plagas lucrifaciat. Ego hinc abeo, tu quando lubet, sequere, aut tuo periculo dormi. SVL. Iam iam te comitabor, ne festina tantopere. SER. Nihil moror, nunc non est nugandi locus, à prandio uero, ubi pro more nobis à studijs missio data fuerit, nugabimur.

In Epistola 2.

DIALOGVS XVI.

HENRICVS & FRIDERICVS.

De ludendi ratione agunt.

TV nobiscum pila ludes Friderice? An cum istis cursu mauis certare? FRI. Mallem cum uno & altero iucundo sodali deambulatum ire. HEN. Quin tu ante paulisper pila colludas, postea & nos una tecum deambulabimus. FRI. At ego huiusce ludi non admodum sum peritus, nam neq; cautè pilam mittere, nec missam manu satis certa excipere sufficio. HEN. Nihil est, quod hac gratia sis sollicitus, ipsa rei exercitatio satis, quid facto opus sit, admonebit. Quod si hinc modis omnibus abhorres, age ludum minoris negocij, nempe globulorum inciamus. FRI. Quando ita uultis, non recuso, tametsi præter risum spectantium, nihil me lucraturum scio.

Der keulen spiel.

Siqui-

Siquidem ubi decies aberraro, uix semel tandem ferio, idq; casu magis quàm arte. HEN. Non magni refert in hoc certamine uincas an uincaris, neq; enim caput agitur, aut pro pecunia certatur.

DIALOGVS XVII.

IVLIANVS ET DAMIANVS,

De quæstionibus commissorum, quæ die Veneris in ludo exercentur.

O Noster Damiane, adest rursus dies, quem ego non minus nobis infaustum & execrandum puto, quàm olim Romani illum, quo in Cañensi pugna, tot Romanorum, millia ab Hannibale sunt trucidata. DAMI. Quid ita? Num mali aliquid huic scholæ ex hoc die impendet? IVL. Et tu nescis, præsertim tot annos in ludis uersatus? DAM. Qui scire possum scholæ huius consuetudinem, nuper admodũ huc profectus? IVL. Quæstiones hodie fiunt in ludo non aliter, quàm quadam carnificina. DAM. Quid narras? IVL. Vera quidem, nam de singulis, quæ per totum septimanæ cursum, quoquomodo commisimus, hodie quisq; pro se pœnas dare cogimur. DA. At qui scire possunt Præceptores, quæ singuli nos designemus: IVL. Arte quadam omnia expiscantur, ut nihil illis occultum esse possit. DA. Quid ita? num diuinationum sunt periti. IVL. Minimè, sed alia uia eodem perueniunt. Nam aliquod clanculum in hoc selectis proumeiũ dant, nos suos commilitones deferendi

ferendi prodendiq;, ut nusquam quicquam omninò uno agere queamus. Semper enim uerendum, ne quispiam ex eiusmodi corycæis nos auscultet, & lupus sit in fabula, hoc est, ille ipse nobis ignorantibus adsit, qui quasi conductitius proditor, omnia ad Præceptorem deferat. DA. Hoc illud forsan est, quod lupum odio appellari, nam nomen solum in ea schola, ubi antea egi, iactabatur. IVL. Is ipse est clanculârius lupus, quem nos miselli non minus odiosum habemus, quàm feram illam quadrupedem horrent oues. DA. Vereor ne & nos hodie deferat, quamobrem cogitandum mihi est, ut si forsan reus fuero, uel me expurgem, uel quam minima pœna defungar.

DIALOGVS XVIII.

PETRVS ET PAVLVS.

Grauiter ferunt desiderium feriarum, deq; capite lauando agunt.

QVàm uellem hunc diem abesse, ut à tot totius septimanæ laboribus, ac etiam bidui fame, ad ferias demum, & carnes liceat redire. PAV. Impatiens es moræ mi Petre, qui cùm totam penè septimanam expectaris, diem dimidiatum durare non potes. Quid autem facies ubi totis quadraginta diebus à carnibus est abstinendum? PE. Recte quidè obiurgas, sed nescio quomodo, quanto uiciniores sunt feriæ, tanto magis earũ me premit desideriũ, sed numquid aliud dicere uis? Nam ego hinc me in tonstrinam

ſtrinam conferam, caput lotione curaturus. PAV. Ipſe lauandum caput exhiberem, ſi lotionis mercedem tonſori perſoluere poſſem, nunc autem tantum habeo nummum. PE. Sat eſt, nec ipſe pluris lauo, tametſi raro hos facio ſumptus, nam per anni circulum uix ſexies lauo. PAV. At ſæpè caput à ſordibus recte purgares, aiunt enim corporis emundatione & ingenium nitidius, quaſiq; purgatius reddi. PE. Sic quidem fertur, idq; propterea, quod ſcientiarum ſedem in capite, utpote rationis domicilio, collocant, quare ocyus eamus. PAV. Quando lubet.

DIALOGVS XIX.

GEORGIVS & CONRADVS.

De canticis, deq; feriis diui Martini.

AGe mi Conrade, quo cantico per hanc hyemem ſtipem colligemus? Etenim in hac urbe mos eſt, ut Scholaſtici aliquot coniunctim compoſitis in hoc cantilenis, diuitum conuiuia exhilarent. CON. Tuum hoc fuit diſquirere, qui rei Muſicæ peritiam habes, quiq; huius ſcholæ conſuetudinem melius quàm ego tenes. GE. Quando in me hanc curam reiecis, aliquid minimè uulgare diſpiciam. Sed die ab hinc octauo quid fieri ſoleat, noſti? CONR. Dic quidè? GE. Erunt tum feriæ præcidaniæ diui Martini. CON. Quid tum? GE. Eſt tunc meſſis nobis ſcholaſticis uberrima, ſiquidem in eius diei ueſpera non eſculenta ſolum nobis largius ſolito dantur, ſed & ſtipem

em egenis dari hoſtiatim eſt receptum. CON. Benè ecum agitur, quandoquidem corraſurum me ſpero uo hyemem commodius tranſigere ualeam. GE. Ita ero quidem, quare ad tempus, ut præſto ſis, uide.

DIALOGVS XX.

MARTINVS & VALERIVS

De ieiunij uiolata religione, deq; diuæ Catharinæ ſtudiorum præſidis numine.

QVid agis omnium impuriſſime? VA. Quid adeo in me ſtomacharis, qui aliud facio nihil, quàm quod ientaculum capio? an tu ientaculum perinde ducis, ac piaculum? MAR. Quaſi non ſat graue piaculum in homine Chriſtiano, ieiunij religionem uiolare. VA. Et hodie eſt indictum ieiunium dic quo nomine? MAR. Sceleſte, neſcis hac feriis beatæ Catharinæ, artium præſidi, agendas? VA. At non putaram præcidanias has feriis ex Eccleſiæ inſtituto ſacras. MAR. Quid tum? conſuetudo recepta eſt pro lege, & ut nulla ſit conſuetudo nobis tamen qui literas ſectamur, quibus hæc uirgo præſidet, hic dies ieiunio religioſiſſimo fuerat colendus. VA. Ieiunabo ergo deinceps, uel ſumpto ientaculo, neq; enim lautum ſpero prandium, & ut uulgo dici audio, bis interdiu malè paſci, pro ieiunio eſt. Tametſi, ut tibi me aperiam, hactenus Chriſtum uerum ſapientiæ præſidem putaui, ut qui ſapientiæ nomine ſubinde in Eccleſiaſticis concionibus celebretur

MAR. Noua quædam inducere conaris, at ego communi omnium uia ingredi malo. VA. Non audisti illud Pythagoræ: Per publicam uiam ne ambules? MAR. Molestus es, tu tuã, ego meum iter ingrediar.

Erasmus inter prouer. retulit.

DIALOGVS XXI.

HIPPOLITVS ET CLETVS.

De frigoris iniuria queruntur.

QVam sunt felices, quibus per opes iam licet domi ad caminum, aut calefactum hibernaculum assidere. CLE. E diuerso quàm nos infelices, qui miseri nullis pellibus, imo nullis penè uestibus aduersum frigoris iniuriam armati, per medios hymbres, niues, & glaciem, hostiatim quærere uictum cogimur. Sed solatur me illud Flacci:

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer, sudauit & alsit.
Abstinuit Venere & Bacho, qui Pythia cantat.

Alioqui si similis esset exitus illorum & noster non esset cur non iniurium Deum dicerem, qui tam iniquè res humanas administraret. HIP. Quin taces, ne quid ferocius in Deum effutias.

DIALOGVS XXII.

STATIVS ET LVCANVS.

De ferijs diui Nicolai, deq; creando Episcopo.

QVid tu nobis adfers noui mi Lucane? LV. Nihil, sed in hoc te conuenio, ut de communibus studijs fabulemur. STA. Gratus ergo

ergo mihi est aduentus, adside huc nobis. LV. En adsideo, scis quid in diui Nicolai ferijs apud nostrates fieri soleat? STA. Qui ipse possem scire, cum illic fuerim nunquam. LV. Dicam ergo paucis. Qui ludum illic literarium frequentant, ex Ludimagistri præscripto quempiã è suo grege Episcopum creant, eũq; magna pompa domum deducunt, & statuto tempore in templum reducunt. STA. Quid commodi inde capit nouus ille & factitius Episcopus? LV. Nescio, nisi quod conuiuio tandem (nescio cuius sumptu instructo) excipitur, & tum lautissimè tractatur. STA. Non interim, dum est in magistratu, uacationem à discendi munere habet, aut æquè ac cæteri manum ferulæ subdit? LV. Æquè omnino, adeo ut non sit magis Episcopus, quàm sint hi reges, qui in Tragœdijs, Agamemnonis, aut Priami personam gerunt. STA. Eiusmodi honorem mihi ne optarem quidem.

DIALOGVS XXIII.

IACOBVS & THOMAS.

De uarijs spectaculis colloquuntur.

QVid cras sit futurum audisti? THO. Nihil equidem, nisi quæ alias fieri consueuerunt. IA. De spectaculis nihil? THO. Nihil planè, num edentur aliqua? IA. Edentur & quidem uarie, nam funambulos duos adesse audio, qui cras sui artificij miraculum ostentabunt. Tum Sarmatas aliquot uidi ipse, qui immanes ursos ad exiguam sti-

pem iuxta lituorum cantus salitantes exhibebunt. THO. Curabo quoquo modo, ut & ipse interim, etiamsi me ipse intrudere debeam. IA. Vix poteris, quandoquidem qui non numerant, foras quatiuntur. THO. Fallam ipsos ianitores. IA. Ad hæc princeps ipse in foro paria aliquot equitum exhibebit, qui inter sese infestis hastis concurrent. Post quos circumingredientur, item Equites è calce ad uerticem usq; armati, quos Cataphractos uocant. Hi cateruatim sine ullo aut ordine aut arte, alius in alium irruent, & se mutuis ictibus ab equis deijcient. Nam in hoc circulus undiq; est circumseptus, & ne qui ceciderint, grauius lædantur, simo instratus. THO. Quam quæso te, uoluptatem, ex tam furioso, & minimè iucundo certamine capiunt isti? IA. Quidenuilla non lauticias præ hac uoluptate contemnunt, præterquam quòd hoc tyrocinio ad serios hostium congressus præparantur, & quasi animantur. THO. Vtcunq; sit, spectabo & ipse quomodo res agatur.

Stechen uñ rennen, toniren.

DIALOGVS XXIIII.

CONRADVS & EGIDIVS

De ieiuniorum ratione disserunt.

MAlè sit istis, nescio quibus, qui totum penè annum ieiunijs onerarunt. Neq; enim satis fuit eis quadraginta dies perpetuò Christi ieiunio esse sacros, nisi insuper quarta quaq; anni parte, aliquot dies nos macerassent. Instat rursus septimana

timana per abstimentiam transigenda Quod si mihi anto apparatu prandium apponeretur, quanto illis ui ieiunia hæc induxerunt, non admodum grauatim is parerem, nunc cum uix toto anno semel rugientem omachum exatiẽ, adhuc ieiunijs uexor. ÆG. Quid a stomacharis Conrade, in sanctos Ecclesiæ patres? ui hæc omnia bono animo statuerunt, non nobis, qui ec nec præstare per ætatem adigimur, nec per moiam possumus, sed sui similibus, hoc est, diuitibus stis, & delicatis. CON. Qui scis hæc? ÆG. Superiore anno è quodam Concionatore audiui, qui diuo Hieronymo quanquam acerrimo ieiuniorum exactori, displicere aiebat, maximè in teneris ætatibus, longa & immoderata ieiunia, ne quemadmodum ipse scriberet, ante pedes deficiant, quàm currere incipiant, quare tantum ieiuniorum modum imponendum, quantum ferre poterimus. CON Habeo gratiam diuo Hieronymo, qui pauperculis nobis, & impatienter esurientibus patrocinatur.

In Epi. ad Lætam & ad Neopt. de Clericorũ officijs.

DIALOGVS XXV.

PENIVS & FRANCISCVS.

De ferijs natalis Christi confabulantur.

ET gaudeo & doleo mi Franciscе, festa hæc natalitia appetere. Gaudeo quidẽ, quod hæ feriæ omnia læta & festiua secum apportant, doleo autem quod scholasticis nobis in addiscendis horum festorum cantionibus, grandis est exhauriendus la-

bor. Præterea totis diebus in templis algendum, pe-
ſtremo et illud uereor, ne ſi matutina ſacra alto nimi
ſopore detentus neglexero, & plagas mihi lucrifa-
ciam. FRAN. Vera ſunt hæc quæ dicis, attamen quan-
do hanc conditionem accepimus, aduigilandum nobis
erit, & omnia fortiter perferenda. Nã & peiora hi
paſſi ſumus, dabit Deus his quoq; finem. Vt taceam,
hos noſtros labores in pietatis cultum cedere. Certè
plus ſatis delicati eſſemus, ſi non tantum moleſtiæ,
uel pro ſolo Chriſto deuoraremus, cuius reſpectu, tot
infantium innocens ætas, crudeles barbarorum mili-
tum gladios eſt perpeſſa, cuius rei memoria & his
ferijs coniuncta eſt. PEN. Sed illud quæſo, quid ſibi
uult, quod ſacrificuli in diui Iohannis ferijs popula-
ribus, uinum è ſacrato calice propinant? FRAN. Ne-
ſcio equidem, niſi quod audiui hoc poculum utpote
ſacrum, antidoti uice eſſe contra ueneni pericula.
PEN. At ego nolim hac fiducia cicutã bibere, quan-
tumuis ſit hoc poculum ut dicis ſacrum.

DIALOGVS XXVI.

BRVTVS & PETRVTIVS

De noui anni ingreſſu loquuntur, deq; miſſitandis ſtrenulis.

FAuſtum annum hunc nouum & felicem tibi
precor mi Petruti. PE. Et ego, ut cum fœnore
tibi reponam, non hunc ſolum, qui iam ingredi-
tur

tur, ſed omnia totius uitæ tempora, beata tibi opto.
BRVT. Tametſi mallem ſtrenulam mihi potius dares
quàm magnificam illam & ſolennem imprecationem
PE. At quas ſtrenas dare poſſit Petrutius, qui præter
pauculos libellos habet planè nihil? BRV. Libellum
quempiam dares, quando bellè quadrat, ut homo lite-
ris deditus, literarum quoq; det munuſculum. PE. Ve-
rum hac liberalitate ſtudiorum meorum iacturam fa
cerem, quod nec ipſe, ſi modo amicus es, nobis ſuade-
bis. BRV. Iocabar tecum & te, quid animi haberes,
uolebam pertentare, cum has conſuetudines nec ipſe
magnifaciam, ut qui iam ſæpe audiuerim, eas nobis è
gentilitate relictas. Cuius generis eſſe audio, quod in
quibuſdam Chriſtiani orbis regionibus, pridie feria-
rum, quæ tribus Magis ſunt ſacræ, ſingulæ domus,
ſingulos reges creant. Nã hæc omnia ex Ethnicorum
ſaturnalibus in hæc uſq; tempora defluxiſſe apparet.
PE. Quia trium Magorum mentionem feciſti, uelim
ſicubi aut audiueris, aut legeris ipſe, mihi expedias.
Primum, quid ſibi uelit, quod eos diuos, alij reges, alij
Magos appellant. Quod poſterius ego de ſolis male-
ficis & præſtigiatoribus dici putabam. Nam utrunq;
ut noſti, in ſacris canimus, deinde cur hæ feriæ Græ-
co uocabulo ἐπιφάνεια nuncupentur. BRV. Dicam
quæ ſuper hac re, partim ex Præceptore dictante,
partim concionatore ſuperiori anno excepi. Princi-
pio Magorum appellatione Chaldæi, non ut uulgus

 putat,

putat, præstigiatores, sed uiros sapientes nuncupant & secretorum naturæ conscios, quorum professio à quibusdam etiam Latinis Magia naturalis dicitur. Sed quia hæc res finibus suis non contenta, temporis progressu in curiosam quandam dæmonum impostu-ram est delapsa, cœpit honestissimæ artis uocabulum probro esse. Quod autem ijdem hi Reges in Psalmis Prophetæ dicuntur, non sic est accipiendum, ut hodie sunt Reges, hoc est, tot ditionum potientes, sed qui quoquo modo magistratū gerunt, suntq; numero uulgi exempti. Quomodo & Hesiodus corruptos iudices & aduocatos βασιλέας δωροφαγοῦς appellat. Porrò apud ueteres Theologos Græcos, ut Gregorium Nazianzenum audio ipsa natalitia festa ἐπιφάνεια dici consueuisse, quod in his Deus homo apparuerit. Verum quod & Magorum ferias hoc uocabulo celebrant, hinc opinor esse, quod illis dux stella apparuerit. Habes quæ ego de hac quæstione audiui. Plura si uis, ex doctoribus require.

DIALOGVS XXVII.

VALERIVS & NICOLAVS.

De cereis in ferijs beatæ uirginis gestandis agunt.

QVid tu cereum non habes mi Nicolae? NI. Vnde haberem? qui nec pecuniam, qua uictum emere possum, habeo. Sed si domi apud meos agerem, nugas eiusmodi mihi pararet mater. VAL. Et tu nugas uocare audes res sacras? NICO. Quid

quid ni? neq; enim statim fuero hæreticus, etiamsi illum gestem cereum, maximè cum non sit, unde nam, tum & Christo putarem longè fore gratius si emptus quos cereis emendis facimus, in pauperum usus conuerterentur. VA. Atq; hæc est laudabilis consuetudo? NI. Est omnino, sed non adeo, ut præ ea meliora & magis Christiana officia negligi debeant. VA. Rectè putas, nam & ipse sæpe stultam multorum pietatem risi, quæ suffigendis etiam quotidie cereis triginta sex, adeo sibi placent, ut per hoc solum se demereri credant, quantumuis fortiter in platea pauperes esuriant.

DIALOGVS XXVIII.

FABIANVS & FRANCISCVS.

De Bacchanalibus Christianorum fabulantur.

QVid causæ est, Franciscе, quod heri ludum non es ingressus? FRAN. Grauiter ex capite laborabam, ut lucem ferre non possem. FA. Belle morbum excusat, quando uulgare iam est scholasticis, si quando ut discendi sudorem horrent, uel ferulam metuant, ignauiæ suæ ualetudinem prætexere, ut scholasticus morbus pro assimulato & conficto iampridem in prouerbium abierit. FRAN. Quid alij faciāt nescio, certè quod ad me attinet, malim decies ferulam pati, quam semel in eum dolorem incidere, etiamsi uix dum planè reualui. Sed qui tute iam hic uersaris? An non hora iam est præceptoribus

ribus auſcultandi? FAB. Eſt, ſed ob hæc Chriſtianorum quaſi Bacchanalia, tridui miſſionem nobis dedit Præceptor. Vetuit tamen graui, ſi quis dicto audiens non fuerit, propoſita pœna, ne quis opificum iſtorum mannariorum exemplo, larua perſonatus, uicatim curſitet, quod hæc inſania cum bonis omnibus, tum maximè Chriſtianis ſit indigna. FRAN. At ego iamdudum laruam in hunc uſum domi incluſam adſeruo. FAB. Vide quid agas, nam de laruis cautum eſt. Porrò compotationes, & cantiones ciuiles indulſit. FRAN. Parendum erit, alioqui poſt intermiſſa gaudia fortiter plorabimus.

DIALOGVS XXIX.

VITVS & SEVERVS

De ieiunio, deq; confeßione quam uocant.

QVid iſtud portendit Seuere, quod ita cogitabundus inambulas? Nam mihi arduum quiddam meditari uideris. SEVE. Rogas? quaſi non ipſum hoc tempus, te quid agerem, docere poßit. VIT. Ieiunijs ergo crebris te maceras, ut eiuſmodi faciem exhibeas? RE. Minime, ſed quæ parum religioſe in Deum conditorem, ac eundem liberatorem male gratus admiſi, ea nunc in memoriam reuocare ſtudeo. Iam enim tempus ſimul, ac Eccleſiæ edictum poſtulat, ut peccata noſtra diligenter excuſſa, tutis ſacerdotum auribus cenſenda deponamus, quo ab eis de peccatorũ ratione docti, uidelicet, quæ leuia, quæq; grauia

grauia ſunt, deinceps cautius uiuamus. VI. At incuſarius ego, ne ſemel quidem adhuc de re tanta cogitaui. SE. Hac ratione nihil es melior, quin maturè nobis hoc munere defungendum eſt, nimirum ut hoc confitendi onere, quo nullum eſt grauius, liberati, diui Gregorij ſtudiorum præſidis, ferias agamus expeditores. VI. At iſtis ferijs quæſo te, quid tandem agitur? SE. Quia is diuus, ſtudijs ut dixi, præſidere putatur, pueri qui ſuam ætatem in literis agere uolunt, eo die in hanc noſtram militiam nomina dant fauſtis, ut nominantur, auſpicijs. VI. Et quando hæ erunt feriæ? SE. Die ſicut opinor, ab hinc decimo. VI. Quando ita ſuades, & ipſe mihi auricularium ſacrum (ſic enim uocant nonnulli eruditi) quæram in cuius ſinum mea delicta effundam. SE. Si lubet, eum accedendi dabitur facultas, quem ipſe iam ſemel atq; iterum diligentem ſum expertus. VI. At ego mallem oſcitantem aliquem, quem non magno negocio in aliquot criminibus fallere poſſem. SE. At hoc non eſt Chriſtianum agere, ſed uulpinam fraudulentiam referre, uerum tu uidebis.

DIALOGVS XXX.

MARCELLVS & ANTONIVS

De ouis emendicandis colloquuntur.

SAlue Antoni. ANT. Et tu mi Marcelle. MAR. Quid eſt, quod ita diſcurris? quem quæris? AN. Quæro qui mecum rus eat, mihiq; in emendi-

candis ex more ouis sit socius. MAR. At hæc consuetudo parua est, & indigna eo, qui se liberalibus studijs addixerit. Quid enim seruilius, quàm decem ouorum gratia agrestium caulas ostiatim obambulare, ac interim domi lectionum iacturam facere. AN. Sed unde famem pellam? si non cibos undecunq; conquirere licet? MAR. Hic in urbe quantum naturæ satis est, nanciscipotes. Nam quorum beneficio totius anni uictum conquiris, eorundem benignitate & paucos dies transigere posses. AN. Frustra te appello, seuerior es, quàm ut tecum rem habere uelim, ipsa es sapientia MAR. Age age, ut lubet.

DIALOGVS XXXI.

PAVLVS & LVCAS.

De Sanctorum communione colloquuntur.

OBsecro te mi Luca, modis omnibus nos excutiemus, atq; ab omni peccatorum sorde pœnitentiæ scopis repurgemus, ne ad tanti principis qui semel nutu nos perdere potest, mensam illotis quasi manibus accedamus, & panem illum cœlestem ac reuerendum polluto ore, imò & animo sumamus, de quo heri tam piè tamq; fruzifere disseruit Ludimagister. LV. Equidem pro mea uirili ad hoc enitar, sed rogo, quidnam de hoc mysterio disputauit Præceptor, nam ipse non interfui. PAV. O miserum quia talia negligis. LV. Adesse non quiui, alibi occupatus, quamobrem uchementer oro & obtestor, ne mihi

mihi rem adeo salubrem inuideas. PAV. Aiebat tantum esse uirtutem huius admirandi cibi, ut qui eo ritè uescerentur, fierent unum corpus atq; unus spiritus cum Christo, sicq; in Deum, Deiq; filium abirent. Sed si quis impurus contingat, eum non salutem, sed extremam animæ perniciem sibi inuenire Hortabatur ergo nos omnes, ut his diebus peccatores cum Christo in cruce moreremur, quo felicius & sinceriori cum studio unà cum eo in uitam transeamus. Hoc enim licebat significari per hæc appetentia nunc festa, quod Pascha Hebræis, transitus à morte peccatorum ad uitam uirtutum sonat LV. At interim quid sit de placentis, & id genus alijs bellarijs, quæ ad immmentes has ferias parari consueuerunt? Non & de illis audiuisti? PAV. Apage, tuus animus iam est in placentis, quum hoc temporis articulo Christus olim de uita sit periclitatus Placentæ, atq; eius generis illeceræ aliæ, suo loco sermonem dabunt, nunc de alio cibo solliciti esse debemus.

DIALOGVS XXXII.

VRBANVS & CHILIANVS.

De lustratione urbis & aruorum fabulantur.

QVid est Chiliane, quod tanto molimine plateas & uicos omnes uerrunt, num princeps quispiam huc est uenturus? CHI. Minimè, sed quiddam est cras futurum, cuius gratia meritò hic fit apparatus. VR. Quid hoc, quæso? CHI. Solennie iam

iam est, crastino die urbem corpore Christi lustrari, siquidem primarius hic Sacerdos sacratißimum hoc corpus circum mœnia gestabit, uniuersa sacerdotum manu, atq; itĕ populo omni, à tergo sequentibus. VR. Sacra forsan erunt, quæ nonnulli Amburbalia non inepte uocare uolunt. CHI. Erunt. VR. At quando agentur Amburbalia? Sic enim uocantur, quæ apud Ethnicos erant Robigalia, Paliliáq;. CHI, Perendie. VR. Num & nos eis sacris adesse oportet? CHI. Maxime, pariter et Clericorum ordinem omnem. VR. At apud nostrates soli agrestes, sacrificio præeunte, agros obequitant. CHI. Suus cuiq; regioni est mos, qui pro lege est habendus.

DIALOGVS XXXIII.

LEOPOLDVS ET SEVERVS.

De spectaculis Comœdiarum, Tragœdiarumq; exhibendis, confabulantur.

SCis Seuere, quæ spectacula die crastino, qui est à ferijs sacratißimis corporis Christi octauus, edi consueuerint? SE. Qui ipse scire possem, cum superiori anno non adfuerim? LE. At audiuisse ex alijs poteras. SE. Quæ ad me parum attinent, ea non magnopere soleo exquirere. Sed dic oro, quid tandem est, quod iactas? LEO. Tragœdiam eorum cruciatuum, quos pro nobis tulit Seruator Christus, histriones agunt, sunt enim ad hoc delecti aliquot. SE. Quæso te, omnibus etiam adhibitis personis? LEO. Omnibus omnino.

omnino. SE. Ipse in hac fabula mallem durißimi militis aut carnificis personã gerere, quàm ipsius Christi. Nam tametsi, ut conijcere possum, res ficta repræsentabitur, sic tamen abire non potest, quin is, qui Christum refert, multas interim molestias in se recipere cogatur. LE. Et ipse in hac fabula spectator esse malo quàm actor, utcunq; res interim agatur seria.

DIALOGVS XXXIIII.

BASILIVS ET GEORGIVS

De coronis gestandis, deq; earum uario genere colloquuntur.

VNde tute proripis Georgi? aut ubi hanc coronam rosaceam es nactus? GE. E foro ueni mi Basili, ubi sertum hoc nummo mihi coëmi. BA. At in quem usum? GE. Animus est eam coronam capiti impositam gestare. Nonne tibi uile uidetur, tot rosas unico nummulo parari? BA. Et te tantum asinum non pudet puerorum ritu coronatum incedere? GE. Puderet? grandes natu, & cani etiam hic gerunt. BA. Nihilo ergo sunt grauiores, forsan hunc morem à Græcorum mollitie sumpserunt, quos apud Homerum subinde καρηκομόωντας audio dici. GE. Vnde sumpserint equidem nescio, hoc scio quod gestant. BA. Num solas rosaceas gerunt, an & uiolaceas pariter & liliaceas, aut etiam rosmarino uel amaraco intertextas? GE. Omnis generis flores, ac odora-

odoramenta concinnant. BASIL. Faciant ut lubet, ego nihil pendo istas nugas, tantum abest, ut precio emere uelim quod si pecunia superesset, uernum butyrum emere malim, hoc enim in alimentum cederet, cum sertorum si odorem excipias, nullus planè sit usus.

DIALOGVS XXXV.

RAPHAEL & SEVERVS

De ferijs diui Vrbani confabulantur.

VTinam alas mihi sumere liceret, ut hinc domum auolare possem, etenim nimis quàm cupio crastinum diem in patria transigere, quam facultatem magno emere non recusarem. SE. Quid hic sibi uult? tute homine exuto in uolucrem mutam uis degenerare? Aut quid noui accidit, quòd tam repentinum tuum iter expostulet? RA. Rogas? nescis cras ferias agi diui Vrbani? SE. Noui, sed quid tum? RA. Hunc diuum eodem penè ritu, & ijsdem ceremonijs colunt nostrates, quibus Ethnici olim Bacchum, ut quæ illis erant Bacchanalia, nobis penè sint Vrbanalia. SE. At in quem usum faciunt hæc Christiani? RA. Putant hoc diuo sic placato, felicius prouenire uuas. SE. O stolidos homines, qui Sanctorum numina, crapulis ac compotationibus demereri se credunt, cum illi abstimentia ac sobrietate principi Deo placuerint.

DIALOGVS XXXVI.

COR.

CORNELIVS & GVILHELMVS

De commodis ac molestijs uariorum temporum disserunt.

VT nihil est usq; ex omni parte felix. GVIL. Quid stomacharis tecum mi Cornelij? COR. Non iure stomachor, qui me tot malis in hoc mundo mundo obnoxium experior? GVIL. Quid est, de quo præter cæteros adeo queri possis, nisi forte paupertatem in ius uocas. COR. Quasi hoc solum sit malum, etiamsi grauissimum, uides, & opinor sentis, ut nihil nõ sit aduersum: hybernis temporibus frigore concutimur, nunc æstas, & caniculæ rabies nos excruciant. Interdiu quidem ob annonæ charitatem & nostrã paupertatem fame ac sîti laboramus, ut taceam interim, nusquam non culices & muscæ nobis obuolantes, & corpusculum exugentes, nocte uerò cum cimicibus ac pulicibus bellum gerimus. Ad hæc miseros exterrent iam fulgura, iam fulmina, iam tonitrua. Mox & autumnus sexcenta morborum genera effundet, nonnunquã morborum omnium pestilentissimum pestem, Adde quòd huius temporis occasione plerique nostri ordinis, dum stulti frigida lauare uolunt, in rapidis & profundis fluminibus capitis iacturam faciunt. GVI. At tu naturæ parum gratus, incommoda quidẽ, quæ secum adferunt æstiui menses accuratè recenses, commoda uerò quæ simul præstant præteris. COR. Quæ ea sunt, quæso? GVI. Rogas? primum

Primum nec igne, nec ueſtibus admodum eſt opus, deinde tempus hoc tot frugum genera donat, ſiliginem, triticum, hordeum, Tot legumina, fabas, piſa, uicias, Tot poma, pyra, pruna, meſpila, nuces, iuglandes, auellanas, caſtaneas molles, racemos, ſuper omnia uerò dulciſſimum muſtum. An hæc parua tibi uidentur æſtatis & autumni munera? uideris mihi ex eorum eſſe grege, de quibus Seneca eleganter dixit: Nemo beneficia in Calendarium ſcribit. Poſtremò cogitandum ſemper, ſic placuiſſe naturæ conditori Deo, ut in hoc mundo nihil ſit hominibus omni ex parte beatum, quo uidelicet ex his mundi perturbationibus ad aliam patriam aſpiremus.

DIALOGVS XXXVII.

PANDVLPHVS Ludimagiſter miniſter,
HIERONYMVS Scholaſticus.
LVDIMAGISTER.

Conſultant in quam potiſſimum Academiam ſtudioſo ſit commigrandum.

QVid tu hic ante oſtium Hieronyme, aut quid hic tibi negocij eſt? HIE. Ludimagiſtrum conuenire uolebam. Sed pulſare cunctabar, ueritus ne intempeſtiuè fortaſſe uenirem, quare te pro ueteri noſtra conſuetudine rogo, ut hic me adſtare ſignifices. PAN. Faciam, tu hic tantiſper morare, dum quid rerum ſit huc renuncio. Here quod iniunxeras diligenter eſt curatum. LVDIMAG. Benè

benè factum. At quis is eſt, qui cum pro foribus fabulantem te audiui. PAN. Scholaſticus quidam nomine Hieronymus, tibi familiariter notus, qui te, ſi modò tempeſtiuum eſt, coràm alloqui cupit. LV. Intromittatur, iam nunc, quid uelit, conijcio. HIE. Salue humaniſſime Præceptor. LVD. Et tu ſaluus ſis optime adoleſcens, ſed quid eſt quod me uelis? HIE. Paucis dicam. Quia iam biennium te in hoc ludo docentẽ audiui, utriuſq; literaturæ prima rudimenta tua opere cunq; percepi, hortatur nunc me tum parens, tum etiam hæc mea ætas maturior, ut hinc in Academiam aliquam ad uberiorem ingenij cultum capiendum me conferam. Hoc ut felicius faciam, tuo conſilio opus eſt. Nam inter tot ut uocant Vniuerſitates, quot iam olim ſunt inſtitutæ, & hodie paſſim nouæ exoriuntur, mihi eiuſmodi rerum ignaro, difficile planè eſt iudicium, quæ omnium ſit inſtructiſſima, & meis ſtudijs accommodatiſſima, delectum habere. LV. Prudenter de his deliberas Hieronyme. Sunt Academiæ, idq; in Germania, quas uehementer probem, ſunt item quas cupiam uel omninò non eſſe, uel in totum immutari. Vt enim in re militari duci dux, & militi miles, & in Repub ſenator ſenatori, & ciuis ciui, artifex artifici, ut deniq; homo homini, ſic ſchola ſcholæ, doctor doctori, magiſter magiſtro, præſtat. Quod diſcrimen, qui non aduertit, operam & oleum (ut aiunt) plerunq; perdit, ac, ut certum aliquid quod

hic sequaris, habeas, in hac deliberatione spectandum erit, non quæ magnificis ædificijs, tametsi & hæc decoris aliquid addunt, sed optimis omnis generis præceptoribus sit instructissima. Primum quæ trium linguarum Professores habeat, & doctos & bonos, hoc ut uelint, illud ut possint, rectè docere. Siquidem Latinam, Græcam & Hebraicam linguam in Christianorum scholis doceri Pontificiæ leges iubent, & ueterum Theologorum exempla suadent, ac denique Christianæ Reipublicæ usus exigit. Habeat denique Theologos, si non plures, unum saltem aut alterum cum Scripturarum intelligentia, tum uitæ sanctimonia egregiè probatos, tum iureperitos, non minus prudentia, quàm & facundia laudatos. Ad hæc Medicos, quos naturalium rerum profunda cognitio & curandi fides perspecta commendet. Postremò Philosophos, non qui Sophisticam rixandi pertinatiam ex ineptis barbarorum commentarijs inculcent, sed qui Philosophando Platonis maiestatem, acumen Aristotelis, Theophrasti eloquentiam proximè referant. Quanquam autem Gymnasiū eiusmodi minoris negocij est describere, quàm usquā inuenire, ad præscriptam tamen imaginem utcunq; accedunt hic in uicino sitæ, LIPSIA & VITEBERGA, Nec ERPHORDIA cuiquam est aspernanda, ut nec BASILEA. Super omnes uerò trium linguarum professione floret LOVANIVM schola, uel hoc

nomine omnium felicissima, quod magnum illum & sapientiæ & eloquentiæ principem habet ERASMVM. Et summum illud Ecclesiasticæ dignitatis ornamentum, Albertus Cardinalis, magnum quiddam moliuntiæ suæ molitur. Quod si processerit, erit quo Germania externis hominibus uentitet. Porrò illud in primis tibi cauendum, ne ad sublimes illas professiones, quas uocant illotis (ut aiunt) pedibus irrumpas. Quin modis omnibus curandum, ut utriusq; literaturæ mediocri cognitione præparatus accedas. Sic enim futurum, ut in disciplinis his grauioribus citius & facilius, quò tendis, peruenias, & rectum in rebus omnium iudicium consequaris. Hoc qui caret, frustra se aliquid feliciter discere sperabit. HIE. At in iusmodi scholis receptum audio, ut scholasticorum uisq; præceptorem quempiam sibi deligat, quo familiariter utatur, non tantum ad literarum studia, sed & formandos mores, dic, quid mihi faciendum suades? LV. Quid aliud quàm ut antequam te alicui in disciplinam dedas, diuitum istorum delicias imitere? Qui cum multa uini dolia in cellis habeant reposita non statim è quouis bibunt, sed pitissando omnium ex ordine degustatis, quod firmissimum fuerit et suauissimum, hoc demum in palati sui usum reliquunt. Quin ergo & tu cum alijs sciscitaris, tum multos eximios eiusdem professionis Doctores audiendo explora, ipse, cui potissimum ingenij tui solum

Ratio deligendi præceptoris.

rectißimè excolendum loces. Tametsi sunt & aliæ coniecturæ, quibus in hoc uti posßit, ut si cui lucubrationes insignem peperere famam, si quem eruditorum calculi aliquot probent, si cui ab alijs eiusdem Musæ æmulis insigniter inuideatur si quem uel iudicium Principis, uel Reipub. consensus à contemptu uindicet, si cui magna sit lectißimorum iuuenum frequentia, si quis discipulos aliquot egregiè doctos reddiderit. Deniq; si quis Pythagoræ exemplo, non quenq; statim in disciplinam suam recipiat, & alius plura & meliora, plurisq; quoq; doceat. Caue enim committas ad quenquam te alliceat sumptus uilitas, aut à quoquam deterreat impensæ magnitudo. Quando ferè fit, ut qui paruo docent, parua, qui magno, magna quoq; doceant. His indicijs si prudenter uteris, uix unquam tibi imponet quisquam. Cetera rerum usus, optimus magister, ætatis progressu te facilè edocebit. HIE. Sat est. Quod restat, pro salubri adeò consilio gratias tibi immortales tuus agit Hieronymus, si quando dabitur facultas, egregiè quoq; relaturus. LV. Nihil addubito. Tu quod tibi felix ac faustum sit, ad bonarum artium meraturam proficiscere, Vale.

Indicia boni præceptoris.

Vide Gell. in primo, cap 9.

FINIS.

Sequuntur Christophori Hegendorphini Dialogi.

DOCTISSI-

MO VIRO SIMONI PHEM GYmnasiarchæ in monte diuæ Annæ, Christophorus Hegendorphinus S. D.

CIrcumferuntur passim, vir doctissime, Dialogi virorum doctissimorum, pueriles loquendi formas repræsentantes. Id quod vix dici potest, quàm pueris vsui futurum sit. Errant illi, & vehementer errant, qui non his loquendi formulis propositis puerorum linguam expoliriorem reddere laborant. Erasmus ille magnus, alicubi hoc ipsum cum pueris faciundum esse admonet, eius calculũ nemo non candidè probat. Quapropter & ego illorum virorum stimulis excitatus, Dialogos quosdam ludere cœpi: In quibus si non omnia virorum superiorum vestigia imitabor, ignoscere debes. Mihi non tam propitius Mercurius est, mihi non tam dulces Camœnæ, quicquid possum, reddo, nõ

gloriolæ choragium ambo, contentu
si quantulacunq; vtilitas ad bonę men
tis adolescentes emanarit. Tibi autem
viro doctissimo, dedicare hos Dialo
gos visum est, quod soleas rebus ipsis
impẽsius fauere, ex quibus puerorum
lingua vtcunq; expoliri potest. Et non
paucis annis huc omnes conatus desti
nasti, puerorum vt balbutiei succurre
res. Et ego mutuam tibi operam præ
stare nou erubesco, tua humanitate fre
tus, qua neminem non & in laboris &
honoris collegium ascisis. Accipe igi
tur quicquid est xenioli, grauiora, Deo
auspicante, dabimus, si has nugas
non omninò displicuisse
videro, Vale.

Geor-

GEORGIVS ET CHRISTOPHORVS DE VERIS tempore colloquuntur.

GEORGIVS.

SAluus sis mi Christophore. CHRI. *Et tu salue.* GE. *Quid rerum agitur hoc iam ueris tempore?* CHRI. *Nihil equidem rerum, nisi quòd plurimum gaudeo, asperum hyemis tempus defluxisse, atq; iam amœnissimam ueris temperiem appetere.* GEOR. *Ecquid refert quo tempore uiuas, modò in literis uiuas?* CHRI. *Tu pol homo non es sobrius, hyeme quæ mala exhauriamus, tuo ipsius, ut opinor, periculo expertus es, nempe quod malè uestitus & sæuiente iam bruma, ciuium domos quærtandi victus gratia oberrare cogeris, & aliquando ita frigore manus obrigescunt, ut ægrè ollam in manibus gestare queas.* GE. *Bellè narras, acurem tetigisti, sed ego hoc ipsum infortunium, Deo laus, nondum expertus sum, ut qui à parentibus semper tot commeatus capiam, quò hyemis sæuitiam propulsare possim, quamuis ita exhaustus sum, ut neq; quid edam, neq; quid bibam, restet.* CHRI. *Non est quod te hoc tempore maceres, in patriam concede, & commeatu, in futurum æstiuum tempus, te instrue.*

GEO. Memorem mones, & ut Homerus ait: αὖθι μνησόμενος. Ego ipse iam eo missionem à Præceptore petiturus, quo in patriam me conferam. CH. Et mihi animus esset, patriam inuisere, si sperarem me quippiam à patre corradere posse. Sed è pumice citius, sat scio, aquam extorseris, quàm unum à patre nummulum, tam Philargyrus est, tam semper ueretur, ne ad incitas redigatur. GE Et quæ, malum, dementia est, patrem uelle literis te addicas, & non mutua pecunia studia tua alere & fulcire? Pecunia opus est, alioqui nihil omninò in literis agas, necessum est. Vnde non immerito Comicus quidam Plutum diuitiarum Deum loquentem facit, διὰ μὲ πάντα γέγονται, id est, per me omnia fiunt. CHR. Quid agis? ego, quantum in me situm est, redeo, proborum hominum opera suffultus. Nam hactenus, laus superis, nunquam pecunia defuit, ad comparanda dictata scholastica. GE. Sed hac de re posthac, ne lentè unguentum, quod dicitur. Nunc quod nostri est instituti effectum curabimus. Accedamus præceptorem. CH. sat scio, non permittet nos patriam inuisere, uix enim quadragesimæ carceres ingressi sumus. GE. Tu pol tuam ipsius umbram reformidas, mihi negocium curandum da. CHRI. Deus feliciter uertat. PAN. Ad malos coruos, quis ita fores pulsat? En Georgi, en Christophore, quid uestra cupido est, quid aduentus uester præ se fert? GEO. Est Præceptor intus? PAN. Est. GE. Quid rerum molitur? PAN. A prandio domum rediit, ultro citroq; commeans. GE. In tempore aduenimus, paucis eum compellare uelimus, nisi alijs uacaret. PAN. Hic pedem figite, donec reuertar, periculum faciam quid rerum agat. PAN. Præceptor humanissime, sunt præ foribus duo adolescentes, qui paucis cum tua humanitate agere uolunt. PRÆ. Qui sunt? huc accersantur. GE. Salue præceptor humanissime. PRÆ. Et uos saluete, quid est, quod me uultis? GE. Non ignoras Præceptor humanissime, iam quadragesimæ tempus instare, in quo non parum propter commeatus penuriam, fama maceramur pecunia ad uiuum usq; denudati, nec obulus restat, quo restim emamus. Quare uelim tuo fauore in patriã repedare nobis liceat, gratias interim agentes, quod in scholasticorum album adscripseris, in optimis quibusq; artibus nos erudieris, olim gratias relaturi, si quando per fortunam nobis licuerit. Et q; in præsentiarum nobis non datur, Deus. Opt. Max. cumulatius rependet. PRÆ. Mirum est uos tam citò hinc auolare uelle, octo aut amplius septimanæ supersunt, priusquam prælectiones uestræ ad umbilicum deducantur, & uos iam hinc discessum adornatis. si meo consilio obtemperare uultis, quod arbitror uos non infrugiferum experturos, ad unam aut alteram hebdomadam nobiscum duretis uelim. Nihil negocij uobis domi est. GE. Fames ipsa nos domum

abigit. PRÆ. Dij boni, si alij non fame pereunt, nec uos, ut opinor, fame peribitis. Tum si nihil aliud hic remorari posset hoc saltem remoram uobis iniiciat, quod his diebus, peccatorum detestandorum rationem uobis tradam, quò in sensus nouitate reformati, Christo fructus edatis in patientia. Transitum Pascha Hebræis sonat, nempe, quod hominibus iam ex peccatorum tyrannide ad uitæ libertatem aspirandum est. GE. Tam lubenter hoc discere uelimus, quàm nobis usui futurum scio, sed parentum affectus hic diutius agere non patiuntur. PRÆ. Vt lubet. Vos inuitos seruare non consilium est, per me ergo domum profici iscipotestis, modo date operam, ne moribus sub agrestibus uos apud parentes geratis, ne suspicentur uos illam morum luem in ludo nostro contraxisse. GE. Faciemus omnia sedulò, tum remis tum uelis conantes, ne ludo tuo dedecori simus. PRÆ. Ite ergo fausto auspicio. GE. Valeat tua humanitas faustiter Præceptor humanissime.

HENRICVS & FRIDERICVS.

De æstate colloquuntur, & in quem ludum literarium proficisci uelint.

VT uales Henrice? HEN. Optimè ualeo, quo in cardine res tuæ aguntur? FRI. Omnia læta, omnia auspicata, cum parentibus fatis superq; egi, in ludum triuialem me conferam, sub docto aliquo Præceptore militaturus. Tu si te mihi comitem addere uis, gratum erit, ut quòd maximè.

HEN. Eu optato res cadit, diu mecum cogitaui, in ludum aliquem proficisci uelle, nec ego solus iter facere soleo. Tu ergo mihi comes, uel multò gratissimus diuina, ut dicitur, uirgula oblatus es. FRI. In quem autem ludum te tradere animus est? HEN. In quemcunq; tu uolueris. FRI. In Lipsensem, audio enim illum omni studiorum genere, uel in primis florere. Tum gymnasiarchy illi ludo præfectus est, homo mirè facundus, & in nullo non scientiarum genere Roscius. Adde quod urbis ipsius celebritas me illuc adigit. HEN. Sed audio pestem illic uehementer grassatam esse. FRI. Amici cuiusdam literis compertum habeo, pestem desæuisse. Academiæ quoq; magistros illuc pedem retulisse. HEN. Non fieri potest, ut pestis omninò desæuierit, si scholastici ex omnigenis oppidis, in quibus hactenus pestis populata est, confederint, ex afflatu ipso peste corripiamur oportet, præsertim his æstiuis mensibus, quibus non rarò tam numerosa scholasticorum turba confluit, ut eam uix capiat ludus. FRI. Quid cornicaris ineptè? facile est inuenire sutelas, quibus tuam inertiam oppallias. Nos non soli hic erimus, cum alijs adolescentibus fortunæ experiemur aleam, siue moriemur siue uiuemus, Christo moriemur, & Christo uiuemus. HEN. Tum ut audio, non licet æstiuis mensibus frigida lauare, nec cerasis decerpendis mutam

agri-

agricolis operam collocare, nec aliquot dies scholis abesse, plusquam argos illic agere audiui, qui circum foraneam illam turbam obseruent. Nec desunt Corycæi, qui clandestinos sermunculos, quos amicus cum amico nugatur, ad præceptorem deferant. FRI. Iam audio, quàm nihil scholasticum in te spiret, scholasticum agere uis, & rusticorum negocijs te immergere cupis, scholasticus ἀπὸ τῆς σχολῆς dictus est, hoc est, ab ocio literario, nempe qui rusticarum rerum labyrinthis exemptus, se totum literis addicit. HEN. Sed quis semper literis operam nauare potest, omnium rerum satietas est. Vide tu ne studium plusquam adamantinũ in neruos abeat. FRI. Tu unius obuli gratia literas, sat scio, deuoueres. HEN. Quæ Pallas tibi hæc in mentem misit? FRI. Audio te cerasis carpendis addictiorem esse, quàm ut in literis bonis aliquam sementem facias. HEN. Non semper patruos sapere oportet, ludendum aliquando par impar equitandum in arundine longa. FRI. Adolescentes sumus. Non est quòd doctissimorum uirorum collatione nostro ocio blandiamur, si eò erepserimus quò illi, ueluti in Olympiade euaserunt, ea feriandi à literis libertate utamur licebit. Iam illud Titi Vespasiani in intimos pectoris recessus insculpas oportet, qui dum aliquando recordaretur, se aliquo die nihil egregij præstitisse, ὦ με τὴν κατάρατον ait, ille dies hodie perijt. Id quod Apelles pictor ille nobilissimus, non instre-

instrenuus imitatus est, qui nullum diem absq; lineâ esse oportere dicebat. HEN. Sed iam non ignoras, quàm Solis æstus ingraueſcat, & quàm capita Anticyris digna faciat. FRI. Non est quòd Solis æstus te prægrauet, si interdiu prælectionibus audiendis tempus impertias, diluculo uerò è lecto surgens, à capite ad calcem usq; repetas, optima quæq; in memoriæ thesaurum deponas, hoc agas oportet, si non uis ex paleis tuorũ laborum inanes culmos excutere. HEN. Iam in uiã reduxisti, iam reddidisti animum, quoquo tu profectus eris, ego te comitabor.

IOANNES & SEBALDVS
De autumni tempore confabulantur.

ECquid agis Iohannes? IO. Ecquid agerem, iam suppellectilis meæ sarcinam colligo, domum aduolaturus. SE. Hui tam citò? IO. Citò? Bartholomæi feriæ elapsæ sunt, Mariæ natalis in foribus est, uix domum rediero, & Michaelis feriæ me anteuertent. SE. Ecquid te domum abigit? IO. Vindemia iam faciunda est, & me musto in lacunis subscatente, ad plenum usq; explebo. SE. Homo es Bacelus, qui musti gratia studiorum iacturã facere uis. IO. Prælectionibus omnibus iam quasi Colophonem imponent. SE. Si expectare uis paulisper, donec literas patri perferendas conscribam, te rursus uisam. IO. Sæculum effluet, quàm hinc me auellero. SE. Non uelim ieiunus iter ingrediaris. Nam Medicorum præ-

præscripto constat, Autumnum magnum malorum agmen hominibus adferre. IO. Sæpe demirari solitus sum, cur in autumno homines in tot malorum genera cadant. SE. Medicorum calculus est, propterea in autumno uarijs cibis hominum corpora affici, quod prima luce, nescio quod frigus panicum, homines inuadat. Meridie autem calor quidam repetinus oboriatur. Vnde ex illa tēporis uarietate corporum crasis perturbatur IO. Iam audio, in Medicorum diatribis enutritus es, ut qui tam arcana medicæ rei mysteria, ueluti ex tripode pronuncias. SEB. Tum autumno quid Lipsiæ fiat scis? IO. Qui ego scirem? tu qui olim illic uersatus es apertis, ut dicitur, tibijs edisserere. SE. Agricolæ indies plenos pomorum, pyrorum, mespilorum calathos in forum asportant, ubi aliquando ego græca fide mercari solco. IO. Quibus autem strophis eludis, ne ab agricolis arripiaris? SE. Gygis annulo utor, uel alium mihi adiungo, qui poma & pyra licitatur, & cum agricolæ in gremium mihi numerant, ego me in pedes, quantum possum proripio, punica fide exoluens. IO. Solent autem ne te insequi? SE. Qui insequi me alio circumstante possunt? Verentur ne dum Iunonem insequantur, in nubem incidant, hoc est, ne dum paruo cuidam damno mederi uelint, in grauius prolabantur. IO. Quid si ad Magistrum deferant te, quot quæso plagas tibi lucrifaceres? SE. Quid? ueluti Elephantina cutis iacula

iacula eijcit, sic & mea cutis ad quæuis flagra occaluit. IO. Iam cretisare uideris. SE. πενία τέχνας ἐγείρει, ut quidam dixit, hoc est, paupertas artes excitat, & fames ipsa Chamæleonta agitare docet. IO. Audiui quondam ex meo præceptore, apud Græcos morem fuisse, quod famem uirgis ex ædibus ejicerent dicentes, foras famem, intro diuitias & sanitatem. SE. Vtinam & ille mos apud nos duraret, sed plus æquo detineo te. IO. Minimè gentium, si quid aliud uis, dicito, omnia sedulò exequar. SE. Parentibus narra me in litteris semper gnauiter uiuere. Alioqui si rescirent me aliquandò ineptire, ne nummulo quidem auxiliares manus porrigerent. Sacerdotium satis amplum mihi impetrarunt, si eò eruditionis progredi possem, quo sacrificio celebrando sufficerem, in cœlo essem. IO. Bellè narras, sed qui quæso sacrificio celebrando par esse potes, si uerba nec quidem intellecta, Deo obmurmuras? SE. Non solum ego in eo ludo sum, multi in easdem ansas inciderunt. IO. Sed errantium multitudo, non facit errori patrocinium. SE. Ego non manum uerterim modo nummos mihi uenari possim. IO. In Remboth, ut audio, hominum genus degenerare uis, quod pietatem ipsam ne pili quidem faciebat, in cute ornanda plus æquo operans. SE. Sed ego te itineri accinctum, distringo, uale igituc, & fausto omine patriam adeas, lætiore ad nos recurras. IO. Et tu interim uale,

sic

sliq; fortuna tibi benignius arriserit, fac mei memoria non pectore effluat tuo. SE. *Hac ego te cura leuo, nam qui possem tam dulcis congerronis non meminisse?* IO. *Vale igitur.*

PETRVS & BARTHOLOMÆVS.

De tempore æstiuali colloquuntur.

QVid ita eiulas ô Bartholomæe? BAR. Cur non eiularem uel sanguinem, ut dicitur, flerem? scriba domi est, qui subinde me uirgis cædere, egregius flagrio, solet, nisi ad satietatem usq; cibos illi subministrauerim. PE. Ego non huius, illud de sale emptum mancipium facerem, si cibum aduśq; clamando emendicatum, illijpsi suppeditare deberem BAR. Nihil grauarer, si æstiuum tempus nobis incumberet, sed bis hybernis mensibus mirum est, quanto negocio cibus emendicandus est. Non rarò ad octauæ horæ signum ad ciuium ædes assidere cogor, ut carunculæ portionem prærancidam extorqueam. PE. Solent ciues alioqui pueros subornare, qui quotidie certis cantilenis præ foribus cantillant, inde pecuniarum messem, uel multò uberrimam demetentes. BAR. Contentores quos uocãt, quicquid est pecuniarum, ueluti bolum è faucibus præripiunt. Ego κόκκυγ& in morem eadem cantilena ciuium aures enecare soleo, unde rarò teruncium lucrifacio. PE. Cur & non tu Musicam artem addiscis? BAR. Non ex omni ligno fit Mercurius, non omnes omnibus ar-

bus appositi sumus. PE. Non tam Appollinis oraculum, quàm hoc uerbum, uerum est, sed tamen solent ciues quosdam adolescentes uulgaribus cantilenis subornare. BAR. Quid hoc est? ex una septimana uix semissem reliquum facio PE. Sed tamen ad eum modum increscet cumulus Hesiodicus. BAR. Sed scriba nescio quas nugas agit. Me socordiorem esse ait, quàm ut nummulum domum adferam. PE. Si tam suis, ut fertur, moribus homo est, cur non illum missum facis? BAR. Tum si cibaria domum attulero, non igniculus suppetit, quo recalefaciam. PE. Quanto pretio agere in scholis hyberno tempore datur? BAR. Sex argenteis nummis. Nam cantori ipsi in ipsis diuæ Catharinæ ferijs argenteum nummum suppeditamus, & singulis tribus hebdomadis nummũ antiquum damus, & nescio quæ alia à nobis exiguntur. Tum annua uectigalia pro diuersorijs dependere cogimur. PE. Proh hominum fidem, mihi nulla pecunia tam miq; postulari uidetur, quàm quæ pro diuersorijs exigitur. Malè illi sit, qui hunc censum primus instituit, nudo uestimenta detrahere uoluit. BAR. Emori citius uideas, quam ut uel obulum in ea pecunia remittant. Tam è flamma sat scio, pecuniam peterent. PE. Et nobis olim lignis emendis pecunia impendenda erat, sed ciues pleriq;, nos hac pecunia leuarunt. Vnde quotidie canticum, quod Salue uocant, in templo detonare cogimur. BAR. Sed frigore nullo

re nullo tangimini, calidum enim semper uaporarium est, in quo frigora discutere potestis, & crede mihi, in longe meliore uitæ sorte quàm ego. PET. Verissimum est quod Horatius dixit: Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus, hoc est, nemo suæ contentus sorte est, semper aliorum sortem magis admiramur. BAR. Nescis profectò nescis, quantis negociorum labyrinthis immergar. Hospes meus subinde proscœnium peragere solet, & ad in tempestam usq; noctem somnum protraho. Nec uesperi ullius libri inspiciendi copi datur. Ceruisia semper adferenda est. PE. Et mihi ad octauæ horæ signum uicatim ἄνω καὶ κάτω cursitandum est, ne uel iusculum mihi parem. Tu autem oppiparis quotidiè cibis uentriculum exatias. BAR. Mallem ego tenuius victitare, quàm cibi gratia studiorum iacturam facere. PE. Qualem ego fortunam nactus sim, ignoro, nisi ego me olim ex illis fortunæ tumultibus extricaturum sperarem, malis illis ceu tempestate afflictus, conciderem. BAR. Has nugas missas faciemus. Sed scis quid crastina die laboris in humeros nostros resideat. PE. Quidnam? BAR. Nobis prima luce lecto surgendum est, ad diuæ Virginis sacrificium canendum est. Tunc cantilenæ in Christi natali canendæ non parum temporis exigunt, & nescio quæ alia laborum illis exhaurienda est. PE. Dabit Deus his quoq; finem, quippiam iam pietati dandum est, ut enim in sacris

sacris sementem feceris, ita & metes. Christi iam aduentus à nobis obuijs, ut fertur, manibus expectatur, omnibus modis elaborandum est, quo sese in nostram mentem per gratiæ suæ charismata diffundat. Et nobis gratiam ad mensuram det, quemadmodum olim à Concionatore non indocto accepi. BAR. Belle narras. Quare quicquid est frigoris, quicquid est tædij libenter decoquemus. PET. Ego quidem nullum reformidabo laborem. BAR. Quare mutuo in acie certabimus.

THOMAS & SEBASTIANVS
De Epiphanias ferijs colloquuntur.

DEus auspicatum tibi conferat annum. THO. Et tibi omnia alba contingant. SEB. Quid uerò mihi pro Xeniolo uel strenula mittes? THO. Quid tibi mittam, cum ne obulus ad emendos panes suppetat, quo latrantem stomachum exatiem? SEB. Ego uel calabri hospitis numera boni consulam. THO. Ego arbitror patrem breui aduolaturum, quod si aduenerit, omnia in portu erunt, & ne asymbolus apud te sim, curabo. SE. Non soleo lubenter spem precio emere. THO. Si expectare non uis præuertere hebrum potes. SEB. Vnde quæso missitandorum munerum ratio apud Christianos radices egit? THO. Tute lepus es & pulpamentum quæris? SE. Ego quantum ab alijs habeo, referam, arbitror primum illis xeniolis hommes sese mutua salute im-

partire, & ueluti aggratulari, quòd Dei benignitate incolumes, totius anni spacia emensi sunt. Vel quod propius uero est, quia illis ferijs tres Magi mysticis quibusdam muneribus Christum Regem demeriti sunt, sic Christiani in Christianæ charitatis symbolum Apophoretis mutuo amicitiã iungunt TH Non à ueritate abhorrent quæ edisseris, sed Circumcisionis feriæ, cur quæso ab Ecclesia institutæ sunt? SE. Non in Theologorum harena unquam exercitatus sum, sed tamen quæ ab alijs audiui, recensebo. Circumcisionis feriæ propterea peragũtur, ut quemadmodum Christus in præputij carne amputatus est, sic & nos ab affectibus amputemur, exesas ipsarum uoluptatum carnes excidentes, ne animæ lepram adferant. Ita enim quidem dicebat. HIE Illum sanctum in libro de uera Circumcisione disputare. TH. Quandoquidem in Theologorum campum iam ingressus es, Epiphania undè nomen promeruit? SE. Quanquam hæc à nostra professione πάρεργα sunt, & quasi extra aleas, ut dicitur: tamen quæ Præceptore olim prælegente, excepi, in sinum tuum effundam, ἐπιφάνεια dicta ἀπὸ τοῦ ἐπιφαίνω, hoc est, appareo, nempe quòd tunc Christus Magis ipsis nostra indutus carne, apparuerit. Nec uerò Magos accipies, maleficos quosdam fuisse, ut Augustinus, sed sapientiæ studijs deditos, & syderum cursus peritos ex felicissima Arabia prodijsse, in qua ex auro et argento

argento uasa, lectos, tripodes facere consueuerunt, qua de re Præceptor noster Picum Franciscum in libro prænotationum adducebat. Iam habes uno, ut dicitur uerbo, quod à me petijsti. THO. Et iam ad uesperarum precum sacrificium eundum est, si non plagas lucrifacere uolumus.

MELCHIOR & PHILIPPVS
De festis Bachanalibus confabulantur.

FEsta iam Dionysii appetunt, quo mihi nihil gratius obtingere posset. PHI. Quid tum? MEL. Quoniam ad sacietatem usq; me omni ciborum genere explebo. PHIL Sed posthac in quadragesimæ tempore fortiter esuriturus. MEL. Vt ut res cadat satis beatus uideor, si semel atq; iterum uentriculum distendero. PHI. Quò autem te proferes? MEL. Recta ad forum eam, ollas empturus, in quas uictum capiam. PHI. Emere soles ollas Punica, ut opinor, fide. MEL. Non nisi arte Pelasga, figulos deludere possum, non cesso planum agere. PHI. Quid si arripereris? MEL. Pedes mihi remedio sunt. PHI. Præceptor remissionem à studijs, ut audio, ad tres dies dedit. MEL. Si tres addiero, nihil, ut spero, damni adfert. PHI. Ego certè octo dies mihi ad hæc festa sumam, necessum est, si modo tempori, ut dicitur, seruiendum est. MEL. Næ tu mecum uehementer sentis, sed tamen ita Bacho indulgebimus, ne à

Musarum aria recedere uideamur, PHI. *Sed heus tu curnam Baccho has ferias consecrarunt?* MEL. *Nempe quod his diebus nemo non Anticyra egeat, nemo non insania corripiatur.* PHI. *Et Baccho cornua cur affingunt?* MEL *Quippe quod olim poculorum uice cornua fuerint.* PHI *Iam satis teneo, Tu uale.*

IOANNES & NICOLAVS

De rerum salutatione colloquuntur.

Ecquid portas mi Nicolae? NI. *Cantharum cereuisiæ Neuburgensis domino meo ex ciuium ut uocant, cellario, affero.* IO. *Mi Nicolae, per quàm uelim formulam quandam cereuisiæ consecrandæ præscriberes. Herus meus indies negocium mihi facessit, quod rusticè cereuisiam consecrem. Nec ipse me melius edocere potest.* NI. *Non credis mihi, quàm ægrè liceat Latinum sermonem ad uernaculum illum accommodare, sed tamen quantum ex meo Præceptore audiui, in sinum tuum effundam. Cum ergo cereuisiam consecrare uis, dicere potes: Cereuisia uobis sit saluti. Cereuisia uobis commodo sit. Cereuisiam Deus sua bonitate consecret, ne quid noxij uobis ingeratur.* IO. *Iam rem teneo, qua autem ratione ab aliquo salutatus, respondere soles?* NI. *Si salutor, salue mi amice, respondere soleo, & tu itidem salue. Cum salutor, saluus sis, respondeo, & tu saluus sis.*

IO. *Be-*

IO *Benè se res habet, omnia teneo, sed cum manè aliquem accedis, qua salutione eum dignari soles?* NI. *Dicere soleo, Bonum manè, Bona dies. Cum in meridie aliquem adeo, dicere solitus sum, plurimum salue uel saluete, salua sit tua humanitas Præceptor mi amantissimè. Cum uerò abeo, dicere in more habeo, uiue & uale, uel uiuat, & ualeat faustiter tua uel uestra humanitas.* IO. *Sed quo quæso modo efferre uelis, bibite bonum Iohannis?* NI. *Haud scio an oratio Latina, ad id genus locutiones uernaculas aspirare possit, dicere tamen uellem, bibite postrentò nobiscū. Bibite nobiscum nomine Iohannis, nam ne ullus quidem fons in itinere occurrat.* IO. *Benè res se habet, gratias tibi habeo, aliquando curabo ne symbolus apud te sim. Sed heus tu, unus est scrupulus, qui me non raro malè habet. Cum somnum capere uis, qua quæso salutatione abire soles?* NI. *Dicere soleo: Ego somnum capessere uolo, uos quoq; quando lubitum est quieti uos tradite. Vel alio orationis habitu efferre potes. Deus uobis omnibus noctem tranquillam impertiat, uel quiescite feliciter, quietem capite suauiter.* IO. *Omnia in portu sunt. Iam uale feliciter.* NI. *Et tu uale.*

MATTHÆVS & BARTHOLOMÆVS.

De uarijs rebus colloquuntur.

PRosint tibi balneæ mi Bartholomæe. BAR. Et tibi omnia prosint. MAT. Balneæ ut tibi arridẽt? BAR. Si mihi adeò arrisissent, diutius imibi moram nexuissem. MAT. Scis quid rerum nouarum Aphrica apud me produxerit? BAR. Modò omnia dextrà sint, noua non illibenter audio. MAT. Et ludus literarius tibi scopis uerrendus est. BAR. Dij boni, an ne hoc nouum? hoc negotij mihi datum esse non clam me fuit. MAT. Scopas, ubi compares nostin? BAR. Apud famulum fornarium. MAT. Aliud autem audire uis? BAR. Si tam bullatas nugas expromere uis, taceas malim. Miror quid tam biberijs nugis nos onerare possis. MAT. Putabam me uelle tibi timorem incutere, si rem paulò atrocius adornarem. BAR. Quid rerum est, ediſſere πάυσαλεπτολογῆρ, ut Græcè dicam. MAT. Cubiculum nostrum quoq; tibi scopis expurgandum est, sordes ad carnificinam exportes, necessum est, tenui potu mendicando occuperis, oportet. Et nescio quæ alia laborum ilias tibi hodiè exhaurienda est. BAR. Ecquæ malum infelicitas est? Miror hodiè tantam laborum sarcinam in humeros resídere, per integram hebdomadam uel Epicureo Deo ocioſior fui, & hodiè nihil non laborum mihi obeundum est. MAT. ἐυφήμει τύχῃ πάρεσταν ἐυποίει. Hoc est, bona uerba quæso, & fortunam præsentem boni consule. BAR. Ecquid incommodi tibi accrescere posset, si me

si me mutua opera iuuares, & meam operam in rebus tuis sedulò experturus? MAT. Quid ni? mori tecum uellem, tantum abest, ut non hac in re auxiliares porrigam manus. BAR. Sed hinc abeundi tempus est. Tantum non uide post festum, ut dicitur, approperemus. MAT. Quid? Vix secundæ horæ signum tactum est. BAR. Si adhuc tam maturum est, domum abibo, ius quod heri uesperi reliquum feci, uentriculo donabo. Tandem tua opera adiutus, dicto citius, quicquid est laboris, expediam. MAT. Tu modo iam ne diu moras nectas.

MARCVS & PETRVS.

De eleemosynis colloquuntur.

VT uales Petre? PET. Maceratam uino uitam, sed tamen incolumem & inconcussam. MAR. Quot Eleemosynas hodiè emendicatus es? PET. Vix unam aut alteram. Nam nescio quo pacto ciues omnes fame contabescere uolunt. MAR. Non calles audio, qua uia Eleemosynarum uindemiam facere possis. Non oportet statim à foribus pedem moueas, si importunius tibi obgannierint, urgendi sunt, & si crebrò iacias, Venerem iacies, ut in prouerbio est. PET. Quid? Non rarò mihi lapidibus minantur, nisi è limine discessero. MAR. Iocantur tecum, perstarem ego, uisurus quorsum res abiret. PET. Ego post me hac tibi comitem in emendi-

cando pane adiungam, alioqui ante diem, sat scio, fame mortem oppetam, necessum est. MAR. Quidnis? Ego omnibus machinis, tuæ paupertatulæ obuiam ire uolo. Num uides quo pacto soleam mulieres illas cadaueroſus à foribus arcere, & solus prædæ inhiare? PE. Benè se res habet. Non ullus me à latere tuo arcebit, Iam autem uale.

IOSEPHVS & GEORGIVS
De ratione studendi colloquuntur.

SAlue plurimum mi Georgi. GEOR. Et tu salue, quò te profers? IOSE. A præceptore domum eo. GE. Sub quo tu præceptore stipendia literarum facis? IO. Sub homine non uulgariter docto. GE. Qua nam ipse in te erudiendo uia utitur. IO. Sub tempus antelucanum & Græca & Latina declinatione exercet. Et logicis quoq; ἀποδείξεσι me instruit, quomodo argumentorum panopliam comparare possim. Nugas quasdam tenues ad Macariam, ut dicitur, mittit. Nam pleroſq; refert eam tradere logicam, quam priusquam addiscamus, obliuio quædam obrepat, quemadmodum de Strepsiade Comicus quidam scripsit. IO. O te felicem cui talis obtigit Præceptor. GE. Tum tempore pomeridiano Grammaticam Philippi Melanthonis iuuentis, ut ego audiui, in utraq; lingua ex æquo suspiciendi, prælegit subinde electas

electas autorum Græcorum sententiolas, & Chriae quasdam ueluti Coronides adiungens quibus uelut melle prælito præceptionum absynthium edulcat. IO. Ni planè lapis sis, doctus euadas oportet. GE. Tum quò cum literis literatis Christum ipsum imbibamus, Erasmi Roterodami Enchiridion prælegit, ex quo ueram pietatem cum eloquentia condiscere possumus. IOS. Et quis non sub tali præceptore saperet? GE. Tum subindé me thematis exercere solet, Thema quoddam exponens, & tractandi ductum præscribens, non rarò declamationibus me exercet, breuiter mihi explicans, quæ in proœmio conciliando ratio, quæ narrandi lux, quanta in diuidendo prudentia habenda sit, quàm subtilis & crebra argumentatio, quibus uiribus inspiret, & ut summatim dicam, quic quid ad orationis artificium requiri solet. IO. En ista tua oratione in alienum ut dicitur, mundum translatus uideor. Tam noua instituendi ratio mihi occurrit. Chameleonta ut audio, agit Præceptor tuus. GE. πλησμόνη πάντων, ut Comicus quidam dixit. Quapropter uarijs rebus animum exercere solet, ne eadem per eadem audiendo, retundantur. Quis enim præceptorem non nisi cupressum simulantem? IOS. Quibus ergò alijs rebus uacare cogeris? GE. Subinde & Græcæ, & Romanæ Epistolæ mihi conscribendæ sunt. Indies aliquid in memoriam reponendum, ne memoriæ thesaurus negligatur.

IOS

IOS. Hoc ipso, ut dicitur, temporis puncto, à meo præceptore desciscam, atq; in tuam scholam, ceu literarum militiam nomen dabo GE Sat scio, intra unius anni spacium, plus promouebere, quam si alio qui in alijs φροντισηρίοις ad sex aut amplius annos computrescas. Plerique enim præceptores multò indoctiores discipulos reddere solent, quam acceperunt IOS Tuo consilio nihil mihi prius erit posthac ego maiore beneuolentia te mihi obstringam, quàm hactenus deuinxi. Non putaui enim te adolescentem esse tam raro ingenio. GE Qui sim ingenio, nescio, hoc certè de me polliceri ausum, me non obscurè uidere nosse, qui dissitæra lupinis. Et quam Corydalus in aliarum quium numero rusticè obstrepat. Tu modò ne animum ad desperationem conuerte. Commodius poteris initio mederi, quàm fini Ætas iuuenilis in quemcunq; habitum sequax est. Ætas uero decrepita, mirum est quàm intractabilis sit, quàm saliuam illam primam, quam olim imbibit, semper reddat. Vnde Parœmiacus est sermo, senis mutare linguam difficile est, & quia senex est Psittacus, ferulam negligit. IOS. Tu pol puer es, & præcoci sapientia. Catonem aliquem iam me audisse putaui, non Adonidem quendam puerum. GE Πάυσαι λεγῶν, ut Græcè tecum loquar, quod animo tuo desciuisti, non in hyperbata usq; profer IOS Iam eo. Tu interim uale.

CASPAR

CASPAR & BALTHASAR
De repetendis lectionibus confabulantur.

ECquid agis Balthasar? Qua uia lectionibus iam repetendis uteris? BALT Primò solitus sum uulgarem accommodare rationem, tum ad Grammatices coticulam omnia exigere, inuentionis acumen expendere, omnium uocularum situm subducta ratione ad calculum uocare. Tandem si quod nouè uel præcè dictum occurrerit, in nidos ad id paratos conuebere, si qua παροιμία, si qua sententia insignis, stellis, ut dicitur, notare soleo. Et ea quæ insigniora uidentur, in memoriæ thesaurum deponere, subindè à lectione surgens, & animo meo utcunq; uoluens, quæ legi. Nec deest Enchiridion, in quod quicquid est illarum opum, ceu promptuarium repono. Et ea uia utendum est τὸ εἰς ἄφενος σπεύδοντι, id est, properanti his ditescere opibus. CAS. Næ ego homo sum uel Morycho stultior, qui talium rerum omnem curam abieci, alia super alia legens. Nec animum aduerti, quàm omnem operam luderem. Sed uerissimum illud in me ipse experior, qui semper domi ueluti in umbra sese contineat, nec in hominum frequentiam progreditur, puerum animalem agere. Non rarò demiratus sum, me ne pilo quidem doctiorem euadere, nullum omninò progressum in me experiri. Et iam, ueluti Ephimetheus ille post

factum

factum prudentiam solidiorem sumo. BAL. Nihil omnium postlabitum est. Tanto grauius in bonas literas incumbe, quanto serius eas uere adamare cœpisti, imitare uiatores ipsos, qui dum manè in diem usq; somnum protraxerunt, quàm possunt celerrimè, iter carpunt, tarditatem celeritate resarcientes. Et plærunq; citius eò quò uolunt, pertingunt, quàm illi, qui prima luce iter ingressi sunt. CAS. Non ignoro nullam ad discendum seram ætatem esse. Sed tamen istud tuum studium, ego in lucru[illegible] ponerem. BAL. Serere ne dubita, non pa[illegible]n literis prouentus tibi proueniet. CAS. Faciam ut iubes, nihil non acturus, quo te aut æquem aut superem.

VENCESLAVS & HERMANVS
De coemendis libris colloqu[illegible]tur.

QVos tu putas libros, mihi parem? HER. Ciceronis uelim libros, & Terentij Comœdias coémeres, ex illis enim solidam eloquentiam haurire posses. VEN. Qui hoc fit? ego non satis intelligo. HER. Pauck aduerte, docebo. Ciceronis oratio & elegans & pura est, Terentius purus, tersus, quotidiano nostro sermoni proximus, & haud scio, an citra balbutiem quicquid in linguam uenerit, garrire possis, nisi Terentij Comœdias in manibus triueris. Nec uerò meopte Marte hæc dico. Præceptoris mei iudicium est, quod ego hactenus non infrugiferum expertus sum. VEN. Et iam Bibliopolam accedam,

dam, istos libros coémpturus. HER. Exemplaria Terentij uaria sunt, Melchior Lotherus, Chalcographus in Lipsia, primi nominis, Terentium typis excudit unà cum præfatione Philippi Melanthonis iuuenis, præter ætatem eruditi. Frobenius Calcographus in optimis quibusq; libris imprimendis, omnium diligentissimus, in paruas pagimas Terentium congessit. Tu eme exemplar, quodcunq; collubitum est. Ciceronis autem exemplaria apud Nicolaum Fabrum, Chalcographum in Lipsia peræ infatigabilis reperies. VEN. Sat habeo. Tu uale.

FINIS.

Fuga trium in unisono.

Fuga 4 in unisono

Fuga 5 in unisono.



hæc fuga 17 Calendæ Junij à Gō simō conflata
atq; paulo post sua propria manu in hunc lib.
scripta.